




UNIVERSITY OF MINNESOTA
OMNIBUS ARTIBUS



DE PRIMA ORIGINE

HOSPITALARIORUM

HIEROSOLYMITANORUM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI
THESIM PROPONEBAT

J. DELAVILLE LE ROULX
SCHOLÆ CHARTARUM OLIM ALUMNUS ET GALLICÆ
IN URBE SCHOLÆ NUPER SOCIUS.



PARISIIS
APUD E. THORIN, EDITOREM
7, VIA DICTA MEDICIS

1885



DE PRIMA ORIGINE

HOSPITALARIORUM HIEROSOLYMITANORUM

DE PRIMA ORIGINE

HOSPITALARIORUM

HIEROSOLYMITANORUM


FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

J. DELAVILLE LE ROULX

SCHOLÆ CHARTARUM OLIM ALUMNUS ET GALLICÆ

IN URBE SCHOLÆ NUPER SOCIUS.




PARISIIS

APUD E. THORIN, EDITOREM

7, VIA DICTA MEDICIS

1885



PATRIS OPTIMI

MANIBUS

D. D. D.

BENE MEMOR FILIUS

Vidi ac perlegi
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona:
a. d. VIII *idus jun., Ann.* MCCCLXXXV;
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus.
A. HIMLY.

Typis mandetur :
Academiæ Parisiensis rector,
GRÉARD.

DE PRIMA ORIGINE

HOSPITALARIORUM

HIEROSOLYMITANORUM

PROŒMIUM

Cum humano ingenio consentaneum est clarissima instituta non solum e clarissimis, sed etiam e prodigiosis initiis deducere. Quod de ordine Hospitalariorum Sancti Johannis Hierusalem factum est : qui, ut amplissimus denique factus est, sic exiguis e seminibus crevit.

Quæ semina ita in lucem eruere, ut quæcumque vulgi mentibus, ad credendum pronioribus, prætenderint aut egregiorum facinorum fama, aut ordinis conditorum atque institutorum utilitas, tenebras et vela removeamus, in hoc opere sumus aggressuri.

Ficta est Legenda[1] quædam fabulosa et portensosa; quæ quibus elementis et partibus, quibus aut certis rebus aut miraculis conflata fuerit, anquirere operæ pretium est.

Posterius (a XIII[1] seculi fine ad XIV[1] initium) Disquisitionem quamdam, qua manifestiores Legendæ errores repellerentur, edidit criticus, cui tantum fuit veri studium quantum fere nemini, pro illis temporibus, contingere potuit. Ea est materia cui non immerito incumbamus.

Disseremus itaque in priori parte de fontibus omnibus unde hauriri possit Hospitalariorum historia, ut appareat

1. Liceat nobis, si quando propriis vocibus indiguerimus, recentiora vocabula ut *legendam, redactiones, chartam, versionem, liturgiam, analogiam, rotam, capitulum generale, bullam, datam*, etc., arcessere, aut juncturas verborum non satis quidem callidas, invitis Tullio et Flacco, ut *ligneas incisiones, Latina instituta*, etc., usurpare.

quanta sit unicuique testi tribuenda fides ; potissimum vero hinc Legendæ (id est *Miraculis*), illinc Disquisitioni criticæ (id est *Exordio*) hærebimus.

Quibus documentis juvantibus, discussisque fictis et falsis, in posteriore parte unde revera exorti sint Hospitalarii, necnon utrum quæ Latini per Mediam Ætatem in Terra Sancta instituerunt, etiam sævientibus bellis, persteterint, annon, investigabitur.

Ne forte, quem secuturi sumus, male deprehendatur ordo, infra propositi itineris conspectum, ut ita dicam, descripsimus.

CONSPECTUS

Pag.

PROŒMIUM 7

PARS I.

FONTES E QUIBUS ORIGINIS HOSPITALARIORUM HAURIRI POTEST HISTORIA.

I. Testimonia e chronicis excerpta 13
1° Guillelmus Tyrensis 13
a) *Versio Gallica* (Livre d'Eracles) 22
b) *Versio Hispanica* 23
c) *Sebastianus Mamerot* 23
2° Rogerius de Wendover 24
3° Jacobus de Vitriaco 24
a) *Marinus Sanutus Torsellus* 28
b) *Johannes Yprensis* 30
4° Auctores Italici 33
a) *Amatus de Monte Cassino* 33
b) *Sicardus Cremonensis* 35
c) *Anonymus apud Ughelli* 36

II. Testimonia specialia e statutis hospitalis excerpta 38
1. Legenda Hospitalis (Miracula) 44
1° *De origine legendæ* 44
2° *De ætate legendæ* 45
3° *Quinam hujus legendæ sermo nativus* 46
4° *Variæ redactiones :* 48
5° *Quomodo legenda composita fuerit* 50
a) *Miracula ante Christi adventum perfecta.* 51
b) *Novi Testamenti miracula* 52
c) *Elementa Bellis Sacris coæva* 52
6° *Quibusnam manuscriptis contineatur legenda* .. 54

II. Dissertatio critica (Exordium)...... 55
1° *Quidnam sit exordium*....................... 56
2° *Quibusnam manuscriptis contineatur*......... 56
3° *Quis sit auctor exordii*........... 57
4° *Quid sit compositi exordii tempus*............ 57
5° *Quibusnam constet exordium*................. 58
6° *Quanti sit ponderis narratio*................ 58
III. Prooemium statutorum........................... 66
III. Testimonia e vulgaribus carminibus excerpta............ 68

PARS II.

HISTORIA ORIGINIS HOSPITALARIORUM.

I. Prima Terræ Sanctæ hospitia latina.................... 74
II. Caroli magni patrocinium.................. 75
III. Amalphitanorum adventus.......................... 80
IV. Girardus... 86
V. Conclusio.. 91

APPENDIX.

I. Textus legendæ (adjungitur textus manuscripti Taurinensis qui discrepat a priore).............................. 97
II. Textus dissertationis criticæ (Exordium).............. 119
III. Textus prooemii statutorum........................... 129
IV. Documenta (I-XIX) ad hospitalariorum originem spectantia 133
V. Index librorum quibus usus est auctor................ 149

PARS PRIOR.

FONTES E QUIBUS ORIGINIS HOSPITALARIORUM HAURIRI POTEST HISTORIA.

I.

TESTIMONIA E CHRONICIS EXCERPTA.

I. — GUILLELMUS TYRENSIS.

Quum nobis in animo sit omnes qui de origine Hospitalariorum scripserunt enumerare, et quanti sint faciendi perpendere, a Guillelmo, Tyrensi archiepiscopo, incipiendum est, ut pote qui de rebus in Terra Sancta gestis ceteros, qui ab eo tanquam a fonte plurima hauserunt, auctoritate multo supersit. Cujus de vita, ut omittemus multa dicta jam ab aliis, sic pauca quædam ad confirmandum ejusdem testimonium apud legentes breviter referemus.

Guillelmus, Hierusalem anno circiter 1172 natus, ad Tyrensis ecclesiæ archidiaconatum anno 1167, et ad Tyrensem archiepiscopatum anno 1174 promotus est. Quum vitam in Syria degerit, omnia quæcumque narravit conspexit ipse (narratio enim paulo ante obitum ejus anno 1180 terminatur), atque rebus ita interfuit ut, gratia dignitatum quibus indutus erat et officiorum quibus erat functus, nonnullarum non solum spectator sed etiam actor exstiterit. Unde fit ut eximium testem eum habuerimus merito, si modo satis sinceræ fidei fuisse demonstraverimus. Quod nunc aggrediendum.

Si ad editores Historicorum occidentalium, qui christianorum in Terram Sanctam expeditiones narraverunt, respi-

ciamus, non solum in narrando maxima vi, sed etiam in judicando summa probitate præcellentem laudibus extollunt. « Rerum enim et hominum, inquiunt[1], judex iste pruden- « tissimus, non tantum litteraria laude sed acri quoque in- « genii excellentia ac rectæ mentis æquitate longe ante « ceteros præfulget. » Nullum quidem operi incepto aptiorem, quia naturæ et fortunæ beneficio ad suscipiendum magnum historici munus accomodatissimus esset, proclamant; prudentem et religiosum veritatis indagatorem, nec suarum opinionum superbe fastidiosum assertorem, sed virum summæ probitatis, eximiarum historiæ comitum, philosophiæ scilicet et geographiæ, diligentissimum cultorem fuisse profitentur[2]. Narrationem nostri Guillelmi cum Gallica translatione (initio seculi XIII[i] exarata, cujus nomen *Livre d'Eracles*[3]) conferendo, in gratiam prioris censendum : « Interpres (Gallicæ translationis) nec sine ira « nec sine studio se totum aperte declarat; qui, utpote « Gallus, suis popularibus egregia vindicat facinora quæ « Wilelmus omnibus crucigeris addicit; ut christianus, « hostes, fidei inimicos, conviciis temere appetit, eosque « inhonesto *canum* vocabulo notat asperius; ut plebicola, « probrorum aculeos frangit ac debilitat quibus Wilelmus « perfodit vulgus ignobile et rapinorum avidissimum »[4].

Reliquum nunc habemus ut perscrutemur an in præsenti re, scilicet in his quæ Hospitalis originem respiciunt, Guillelmus dignus sit cui fidem integram adhibeamus. Quam quidem originem obiter, quum de contentione inter semetipsum et Hospitalis ordinem anno 1154 mota tractaret, noster retulit, minime, judicio nonnullorum, credendus, qui pro *domo sua* agentis et odio adversantium sibi ducti testimonium omnino recusant. Inter quorum numerum, auctoritatem nostri Guillelmi negantium, P.-A. Paoli

1. Vide *Rec. des Hist. occid. des Crois.*, I, p. XIX.
2. *Item*, p. XX-XXI.
3. Hoc vocabulo usi sunt quia narratio cum Heraclii imperatoris historia incipit.
4. Vide *Rec. des Hist. occid. des Crois.*, I, p. XXV.

imprimis exstat, qui plurimis in locis operis sui, cui titulus inscribitur : *Dell'origine ed istituto del sacro militar ordine di S. Giovambattista Gerosolimitano*[1], quid de tribuenda Tyrensi archiepiscopo fide senserit, exposuit. Cujus quidem opinionem, tam ob auctoris scientiam et eruditionem quam ob assertarum rationum vim, diligentissime inspiciendam breviter complectemur ; deinde, pensatis hinc inde argumentis, quid, sententia nostra, in hac lite judicandum exponemus.

I. — Imprimis animadvertit P.-A. Paoli Guillelmum et his quæ de Hospitali incipiente referri possunt et his quæ ante annum 1142 gesta sunt non modo non oculatum testem adfuisse, sed ne sinceris quidem quæ de his temporibus scripsit e fontibus repetiisse, et magis fama tradita (quandoquidem et ipse fatetur) quam scripta ab auctoribus consuluisse : « Quæ de præsenti hactenus conteximus « historia, aliorum tantum quibus prisci temporis plenior « adhuc famulabatur memoria, collegimus relatione ; inde « cum majore difficultate quasi aliena mendicantes suf- « fragia, et rei veritatem et gestorum seriem et annorum « numerum sumus consecuti : licet fideli, quantum po- « tuimus, hæc eadem recitatione, scripto mandavimus »[2].

II. — Plures etiam nostro Guillelmo in temporibus supputandis errores objicit, inter quos unum commemorat. Neminem scilicet fallit a Godefrido, duce Lotharingiæ, repentinum in Arsur impetum tentatum ; quod quidem oculatorum testium, Fulcherii scilicet Carnotensis et incerti cujusdam apud Bongarsium narratione cognoscimus ; horumque testimonio Albertus Aquensis, exactissimus et temporibus illis æqualis auctor, omnino consonat. Scimus igitur, in ista periclitatione lugenda, multos lapsu machinæ cujusdam, ab hostibus exustæ, inter christianos periisse ac martyrium perpessos fuisse, annoque 1099, regnante Godefrido Hierosolymis, istud accidisse ; biennio autem trans-

1. Romæ, 1781, in-4°, pp. 488-94.
2. Guill. Tyr. in prologo libri XVI (*Hist. occ. des Cr.*, I, 704).

acto (1101), ejusdem civitatis obsessionem iterum tentatam, regique Balduino sine prælio deditionem factam. In quibus narrandis, dum supradicti auctores triplici eadem testimonio confirmant, Guillelmus minime cum eis concordat. Duas enim urbis Arsur obsidiones noster confudit, et quæ anno 1099 adscribenda, anno 1101 et vice versa adscripsit, ut qui in scribenda historia fama potius innitatur.

III. — Ut in cetero quidem Historiarum decursu sagacitate et prudentia Guillelmus præpotens haberi possit, sic, quum de Hospitalis incunabulis disserit, iis virtutibus, studio integritati officiente, omnino destitutus videtur. Asserit enim contentionem inter Terræ Sanctæ episcopos et Hospitalis fratres incepisse, quia a decimis exigendis sese fratres, impetrata sibi quædam opponentes privilegia, eximere prætenderent; atque inde in Romanam ecclesiam, quæ talia concesserit, vehementissimis verbis incurrit. At id omne, si ad certissima documenta confugimus, falsum esse constat. Prima scilicet decimarum concessio, Hospitalis fratribus ab Arnulfo patriarcha Hierosolymitano facta, capitulo ejusdem ecclesiæ anno 1112 confirmata est, ut ex authentica charta patet[1]. Quod quidem privilegium quum Pontius, Tripolitanus episcopus, eisdem concesserit, ejusque successor Erimbertus roboraverit, Calixta papa II quæ ab utroque peracta fuerant bulla approbavit[2]. Bernardus quoque Nazarenus anno 1125, Johannesque Acconensis episcopus anno 1135, decimas Hospitali condonaverunt[3]. Guillelmus denique, Hierosolymitanus patriarcha, pactum quoddam de eorumdem privilegiorum concessione et legitimo usu cum Hospitalariis anno 1141 iniit[4]. Agitur ergo non de usurpatis fraude aut vi extortis a Sancta Sede commodis, sed de privilegiis a Terræ Sanctæ prælatis ultro, dum pauperum refectorum ægrorumque sanatorum

1. S. Pauli, *Codice diplomatico del s. m. ordine Gerosolimitano* (Luccæ, 1733-7 f°), I, p. 4.
2. *Cod. Diplom.*, I, p. 269.
3. *Cod. Diplom.*, I, n° VIII, p. 8 et n° XVI, p. 17.
4. *Cod. Diplom.*, I, n° XXI, p. 22.

atque effusi non semel sanguinis mercedem tribuunt, extensis atque liberaliter amplificatis.

IV. — Varia insuper crimina Guillelmus Hospitalariis inferre conatus est, sive Hospitalarios in ædificando hospitio immensam et pulcherrimam ædificii molem ea mente struxisse asseruerit, ut ab opposito S. Sepulcro omnium admirationem et oculos deverterent (scimus enim ex Johannis Wirtzibnrgensis, oculati testis, narratione hospitium hoc amplum exstitisse, sed partim ad duo ægrotantium millia suscipienda aptum, partim ad armaturas, quibus regnum Hierusalem tueri posset, servandas accomodatum); sive eosdem ita patriarchæ infensos fuisse contenderit ut adversus S. Sepulcrum sagittas, quas ipse, manipulatim collectas, in ecclesia prædicti Sepulcri viderit, conjicerent. Nullus autem reperiri potest qui talia narraverit, nisi S. Bernardus, qui de quibusdam armis, Sepulcri parietibus ad instar tropæi appensis, disseruit. Ex his exemplis manifeste perspici potest neminem, nisi odio ductum et studio obnoxium, inveniri posse qui talia fabulari ausus sit.

Expositis quoque dissentionis olim inter Hospitalis fratres et Tyrensem, Guillelmi nostri antecessorem, episcopum ortæ, qui postea ad Hierosolymitanum patriarchatum evectus fuit, causis, litem ad summum pontificem Anastasium IV provocatam atque fratribus adjudicatam narrat; idemque inde, rescripto pontificis offensus, papam et cardinales corruptelæ et venalitatis postulat. Sed haud dubie compertum habemus Anastasium de talibus criminibus immerito insimulatum, quippe qui, infensissimorum etiam hostium consensu, sinceritate, zelo, pietate ac religione præfulgeret. De cardinalium autem numero, quos tam indecenti contumelia affecit, duos, Octavianum scilicet et Johannem, tituli S. Martini, excepit, eosque, ut fautores suos, plurimus laudibus extulit. Hoc quidem malæ fidei indicium, quum quæ ambobus in posterum evenissent, non ignoraret, Johannem scilicet fuisse schismatis adversus Alexandrum III exorti auctorem, Octavianum vero sub nomine Victoris III antipapam effectum[1].

1. Vide Petri Blesensis litter. 48 (Migne, *Patr. lat.*, CCVII, 141-5).

2

Noster quidem, sanctissimam Hospitalis institutoris vitam reveritus est; tum vero virtutis probatæ fama scriptori, non scriptor famæ, præstitit; in ceteris, quæ ad Hospitalis institutionem pertinent, rebus, veritate remota, ad humillima tantum ejusdem incunabula attentos facit legentes, et « de tam modico incrementum habentes, prædictæ « domus fratres prius a jurisdictione se substraxisse « abbatis, deinde multiplicasse.....[1] » concludit. Quænam autem hujusmodi testimonio adhibenda fides? Nonne, etiamsi falsi non convictus fuerit, cauta mente quoties scribit de Hospitalariis legendus est? Ea est P.-A. Paoli sententia; nostra vero, ex his quæ ratiocinatus est, alia sunt laudanda, alia rejicienda; mediamque tenebimus viam ne nimium aut Paoli aut Guillelmo tribuamus.

Apparet enim summam operis inspicientibus Guillelmum plerumque magnam vim, quum ob acutam mentem tum ob sinceram fidem, habere; in eo vero, de quo agitur, capitulo dignum esse qui cauto quidem, at non fastidioso judicio legatur. Quod tria demonstrant:

Id primum quod eum adeo illatarum in Hospitalarios injuriarum pœnitet, ut in posterum sese vera potius quam grata secuturum esse pronuntiet, atque hæc scribat: « Nec « tamen omnes uno judicio et sublata discretionis differentia, « in hanc Deo odibilem, et vitiorum matrem omnium, involvimus superbiam, credentes vix posse contingere, ut in « tanto corpore eodem gradiantur itinere, et sit nulla dif« ferentia meritorum. Ut autem, ex quam modico jactu « seminis tantum locus memoratus ceperit incrementum, « quamque indebite contra Dei ecclesias recalcitraverit, et « usque hodie recalcitrare non desinat,... duximus mandan« dum historiæ, veritatis regulam omnino, auctore Domino, « non prætermittentes. »[2] Ex prædictis verbis patet Guillelmi testimonium non omnino rejiciendum.

1. Guill. Tyr., l. XVIII, cap. VI (*Hist. occ.*, I, 826).
2. Guill. Tyr., l. XVIII, cap. 3 (*Hist. occ.*, I, 822). Hunc locum translator ita prave intellexit ut ei alia omnino abhorrentia supposuerit. Vide infra, p. 19-22.

Secundum quod ceteri, qui easdem res narrandas inverunt, acceperunt eum ducem certissimum.

Tertium quod cum Guillelmo et frater quidam Hospitalis (de quo plura posterius)[1] et Jacobus de Vitriaco dissentiunt, ille de patrocinio S. Johannis Eleemosynarii, hic de decimis, ambo vero de ordinis origine assentiunt. Qui quidem assensus eo potior est quo strictior et circumspectior. Nos igitur, his argumentis nixi, accipiendum Guillelmi testimonium arbitramur. Sequentia legantur nunc ab ejus historiis excerpta :

« Regno Hierosolymorum cum universa Syria et Ægypto, « cum adjacentibus provinciis, peccatis nostris exigentibus, « in manus hostium nominis et fidei Christianæ, secundum « quod antiquæ tradunt historiæ, devolutis : quod tempore « domini Heraclii Romanorum imperatoris, invalescentibus « contra eum Arabiæ populis, certum est accidisse : non defue- « runt de Occidentalibus multi, qui loca sancta, licet in hos- « tium potestate redacta, aut devotionis, aut commerciorum, « aut utriusque gratia, visitarent aliquoties. Inter eos autem « qui negotiationis obtentu, de Occidentalibus per illa secula, « loca prædicta adire tentaverunt, fuerunt viri de Italia, qui « ab urbe quam incolunt dicuntur Amalfitani. Est autem Amal- « fia civitas inter mare et montes eminentissimos constituta, « ab oriente habens urbem nobilissimam Salernum, vix septem « milliaribus marino ab ea distantem itinere ; ab occidente « vero Surentum, et Neapolim Vergilianam ; ab austro vero « Siciliam, ducentis milliaribus, plus minusve modico, remo- « tam, Tyrrheno mari interjacente. Hujus regionis habitatores, « ut prædiximus, primi merces peregrinas, et quas Oriens « prius non noverat, ad supra nominatas partes lucri faciendi « gratia inferre tentaverunt : unde et optimas conditiones apud « illarum partium præsides, pro rebus necessariis quas in- « ferebant, et sine difficultate accessum, et populi nihilo- « minus gratiam merebantur. Possidebat illis diebus princeps « Ægyptius universas maritimas regiones, a Gabulo civitate, « sita in littore maris juxta Laodiciam Syriæ, usque in Alexan-

1. Vide in Appendice hanc dissertationem in extenso sub n° II editam.

« driam, quæ est novissima civitas Ægypti. Et per præsides
« singulis civitatibus deputatos, imperium suum late reddebat
« formidabile. Prædicti vero Amalfitani tam regis quam prin-
« cipum suorum plenam habentes gratiam, loca universa, quasi
« negotiatores et tractatores utilium, tamquam merces circum-
« ferendo, confidenter poterant circumire : unde et traditionum
« paternarum non immemores et fidei Christianæ, loca sancta,
« quoties opportunitas dabatur, visitabant : non habentes
« autem in eadem urbe familiare domicilium, ubi moram pos-
« sent facere aliquantulam, sicut in urbibus habebant mari-
« timis : congregatis de suo populo, quotquot ad opus concep-
« tum poterant convocare, calypham Ægyptium adeunt, et
« obtenta familiarium ejus gratia, petitionem suam scripto
« porrigunt, et votis consone recipiunt impetratum.

« Scribitur ergo Hierosolymorum præsidi, ut viris Amalfi-
« tanis, amicis, et utilium introductoribus locus Hierosolymis
« juxta eorum desiderium, in ea parte quam Christiani habi-
« tant, ad construendum ibi domicilium, quale voluerint, de-
« signetur amplissimus. Erat autem civitas, sicut et hodie est,
« in quatuor partes pene divisa æqualiter, ex quibus sola
« quarta, in qua sepulchrum Dominicum situm est, fidelibus
« concessa erat ad habitandum ; reliquas autem cum templo
« Domini, soli infideles habebant domesticas. Designatur ergo
« eis de mandato principis qui sufficiens videbatur ad cons-
« truenda necessaria locus, sumptaque a negotiatoribus quasi
« per symbolum pecunia, ante januam ecclesiæ dominicæ
« Resurrectionis, quantum vix lapidis jactus est, monasterium
« erigunt, in honore sanctæ et gloriosæ Dei genitricis, perpe-
« tuæque virginis Mariæ, simul cum et iis officinis, quæ ad
« usus monachorum et suæ gentis hospitum susceptionem po-
« terant aliquam præstare commoditatem. Quo facto de par-
« tibus suis, tam monachos quam abbatem transferentes,
« locum regulariter instituunt, et Domino conversatione sancta
« reddunt placabilem. Et quoniam viri Latini erant, et qui
« locum fundaverant, et qui in religione conservabant, idcirco
« ab ea die usque in præsens, locus ille monasterium de Latina
« dicitur. Accedebant etiam per illa nihilominus tempora, ut
« loca deoscularentur venerabilia, sanctæ viduæ et conti-
« nentes, quæ timoris oblitæ feminei, et periculorum quæ
« multiplicia occurrebant, non habentes formidinem : quibus
« advenientibus, cum non esset inter septa monasterii, ubi

« colligerentur honeste, congrua satis provisione procuratum
« est ab eisdem sanctis viris, qui locum fundaverunt, ut adve-
« nientibus devotis feminis, non deesset seorsum oratorium,
« domus familiaris et locus in diversorio. Tandemque divina
« favente clementia ordinatum est ibi monasterium in honore
« piæ peccatricis, Mariæ videlicet Magdalenæ; et sorores sub
« certo numero, ad obsequium adventantium mulierum con-
« stitutæ. Confluebant etiam per illa periculosa tempora non-
« nulli ex aliis gentibus, tam nobiles quam secundæ classis
« homines, quibus quoniam ad sanctam civitatem non nisi per
« terras hostium erat accessus, de suis viaticulis cum ad
« urbem pervenissent, omnino non fiebat residuum; sed mi-
« seros et inopes ante civitatis portam, tam diu cum summo
« labore, fame, siti, et nuditate exspectare oportebat, quousque
« dato aureo numismate urbem eis licebat introire. Ingressis
« autem, et locis sanctis ex ordine peragratis, non erat eis vel
« ad unum diem refectionis spes ulla, nisi quantum eis de præ-
« dicto monasterio fraterne ministrabatur: nam omnes alii
« civitatis habitatores Sarraceni erant et infideles, excepto
« domino patriarcha, et clero et populo misero Surianorum;
« qui diebus singulis tot angariis, parangariis, et sordidorum
« munerum præstationibus vexabantur, ut vix sibi, in suprema
« paupertate constitutis, in continuo timore mortis liceret
« respirare.

« Nostris ergo miseris, et ad supremum afflictis et egen-
« tibus, cum non esset qui tectum præberet, procuratum est a
« beatissimis viris, qui monasterium Latinorum incolebant,
« ut misericorditer victui et tegumento detrahentes, ad opus
« talium, intra ambitum sibi designatum, xenodochium erige-
« rent, ubi tales sanos vel ægrotantes colligerent, ne de nocte
« per vias reperti jugularentur, et in eodem loco congregatis,
« de reliquiis fragmentorum utriusque monasterii tam virorum
« quam mulierum, ad quotidianam sustentationem qualem-
« qualem, aliquid ministraretur. Erexerunt etiam in eodem
« loco altare in honore beati Johannis Eleymon. Hic vir Deo
« placens, et per omnia commendabilis, natione fuit Cyprius:
« tandem suffragantibus meritis, factus est Alexandrinus pa-
« triarcha, vir in operibus pietatis singulariter excellens, cu-
« jus pia studia et liberales eleemosynas in perpetuum enarrabit
« omnis ecclesia sanctorum. Unde et a sanctis patribus vocatus
« est Eleymon, quod interpretatur *misericors*. Huic autem

« loco venerabili, quod ita caritative se porrigebat ad homines,
« neque reditus erant, neque possessiones; sed prædicti Amalfitani annis singulis, tam qui domi erant, quam qui negotiationes sequebantur, collecta inter se quasi per symbolum pecunia, per eos qui Hierosolymam proficiscebantur, abbati qui pro tempore ibi erat, offerebant, ut inde fratribus et sororibus ad victum et tegumen provideretur, et de residuo fieret advenientibus Christicolis in xenodochio aliqua misericordia. Ita ergo per multorum annorum curricula, quousque placuit summo rerum opifici, civitatem illam, quam proprio cruore mundaverat, a superstitionibus gentilium purgare, sub iis conditionibus mansit locus ille. Adveniente namque christiano populo, et principibus a Deo protectis, quibus regnum illud Salvator tradi voluit, in monasterio feminarum inventa est abbatissæ fungens officio, quædam Deo devota et sancta mulier, Agnes nomine, nobilis secundum carnem, natione romana, quæ, etiam postquam civitas restituta est fidei Christianæ, per aliquot vixit annos. Et in xenodochio similiter repertus est quidam Geraldus, vir probatæ conversationis, qui pauperibus in eodem loco tempore hostilitatis de mandato abbatis et monachorum multo tempore devote servierat: cui postea successit Raimundus iste, de quo nobis sermo est in præsenti. » (*Hist. rer. in part. transm. gestarum,* l. XVIII, cap. 4-5, p. 822-6.)

« Erat præterea eodem tempore in eadem Deo amabili civitate vir vitæ venerabilis et fide insignis, Geraldus nomine, qui ei de quo supra diximus præerat xenodochio, in quo pauperes, qui orationis gratia ad urbem accedebant, hospitabantur, et aliqualem pro loco et tempore sumebant refectionem. Hunc credentes pecuniarum aliquam habere repositionem, et suspectum habentes ne in nostrorum adventu aliquid eis moliretur damnosum, vinculis subjecerunt et verberibus; ita ut manuum ac pedum torquendo ejus confringerent articulos, et membrorum partem maximam redderent inutilem. » (*Hist. rer. in part. transm. gestarum,* l. VII, cap. 23, p. 315.)

a) *Versio Gallica.*

Sequuntur etiam variæ ejusdem operis versiones et refectiones, quas et diligenter perlegimus. Si quæ forte vel

minima aut suppressa aut mutata reperiremus, versiones etiam vernaculo sermone sedulo perspeximus, simul ac opera seculo xv° composita typisque mandata, quæ Guillelmi narratione fulciuntur. Quoad autem Versionem Gallicam, sub nomine *Livre d'Eracles* vulgo cognitam, necnon et varios auctores qui Guillelmi narrationem secuti sunt, nihil hujusmodi nacti sumus[1].

b) *Versio Hispanica.*

La gran Conquista de Ultramar, bis publicata : 1° Salamancæ, anno 1503 in f°, 2° Madriti, anno 1858 *in biblioteca de autores Espanoles.* Duplicem locum complectitur ad Hospitalis origines spectantem : prior quidem ab Equite Cycni sumptus est[2], posterior autem, qui solus ad propositum nostrum pertinet, fidelissimam operis cui titulus *Livre d'Eracles* versionem, nullis additis aut distractis, continet[3].

c) *Sebastianus Mamerot.*

Auctor ille opus quoddam cui titulus: *Passaiges d'Oultre mer faits par les François,* cujus usque ad nos plura manuscripta pervenerunt, anno 1454 confecit; quod typis mandatum est anno 1518 (vicesimo septimo die novembris) apud Michaelem Lenoir, Lutetiæ Parisiorum; CCXXVII follicula in 8° continet et amplius VI folia indicis in capite libri ; ad calcem vero, fol. unum, cum sigillo Michaelis Lenoir. Titulus autem sic se habet : *Les Passaiges doultremer* || *faitz par les Françoyz : Nouvellement imprimé.* Quæ ad originem Hospitalis pertinent inveniuntur a folio CLXIII *b* usque ad CLXIIII. Guillelmi pedisequum ac breviatorem esse apparet Mamerot. Quæ autem ad sanctum Johannem Eleemosyna-

1. Vide Comitis Riant librum, *Inventaire sommaire des manuscrits de l'Eracles* (Arch. de l'O. latin, I, 247-56) in quo plura et pleniora quam apud Comitem de Mas Latrie, de Ernulpho et Bernardo Thesaurario disserentem, invenies (*Chronique d'Ernoul et de Bernard le Trésorier,* Paris, 1871, in-8°).
2. L. I, cap. XX, p. 10 (ed. Madr.).
3. *Ibidem,* l. III, cap. CCCXLIX, p. 482-3.

rium, Girardum et Agnetem attinent, contrahuntur, immutantur aut modo omnino auctori proprio disponuntur. — Ubi de Ascalonis obsidione ac de altercationibus inter Hospitalis fratres et patriarcham agitur, ibidem de origine Hospitalis mentio habetur. Ordinationem vero Guillelmi in sua narratione scrupulose sequitur Mamerot.

II. — ROGERIUS DE WENDOVER.

Auctor in opere suo cui titulus : « *Chronica sive Flores historiarum* » quoddam ordinis origini capitulum dedicavit[1]. Volumen autem istud haud parvam materiam Matthæo Parisiensi usque ad annum 1235 suppeditavit. Varios hosce « Flores » variis ex hortulis, nonnunquam e suis, collegit : ideo timuerim ut quosdam fortasse colliserit[2]. Quæ autem ad originem ordinis pertinent, fere syllabatim ex opere Guillelmi, quamvis paulisper imminuta, assumuntur[3]. Quæ vero non ad historiam spectant, quæque Agnetem respiciunt, omnino reciduntur. Omnia, mea sententia, ex Guillelmo Tyrensi depromuntur; quapropter textum exscribere prorsus inutile foret.

III. — JACOBUS DE VITRIACO.

Ex omnibus quæ ad ordinis originem referuntur, haud dubie Jacobi de Vitriaco amplissimum est documentum.

Attamen monumentum illud, ut facile cuivis lectori patebit[4], scrupulose ex opere Guillelmi Tyrensis deducitur; quamobrem sub eodem titulo ac Guillelmi volumen collocavimus et id ipsum.

De Jacobo autem perpauca innotescunt; ubi, aut quando

1. Ed. H. Coxe, I, 118-119 (Londini, 1841-44, 5 vol. in-8°).
2. Ed. H. Coxe, IV, XXVII.
3. Guill. Tyr., l. XVIII, cap. 4, 5. Vide superius, p. 19-22.
4. Ex locis italice conscriptis infra, p. 25-8.

ortus fuerit non satis constat. Argentolii natum, annis circiter 1160 vel 1170, credunt. Contra Albigenses crucem prædicavit; anno 1216 vel 1217 episcopali dignitate insignitus, ad occupandam suam sedem, scilicet Acconensem ecclesiam, profectus, ibidem remansit atque egregiam personam gessit.

Romam vero anno 1227 rediit, deinde apud monasterium Oigniacense in Belgiam recessit. Anno 1239 Hierosolymitanus patriarcha creatus, anno 1240, priusquam in Palæstinam redire potuerit[1], Romæ obiit.

Cujus opera amplissima sunt: nunc de Hierosolymitana historia absolvendum duntaxat habemus. Tripartita historia hæc est: « in primo libro, ut Jacobi verba usurpemus, historiam Ierosolymitanam compendiose perstringendo, de hiis quæ in partibus Orientis Dominus miserabiliter operatus est » disseruit auctor, priusquam Crucigeri Syriam recuperaverint; in secundo libro de Occidentalibus rebus ac de iis quæ ad ordines cum regulares tum seculares pertinent tractavit; pars vero tertia, quæcumque a concilio Lateranensi usque ad captam Damiettam (1249) in Terra Sancta peracta fuere, amplectitur[2].

De fide autem Jacobo de Vitriaco adhibenda pauca dicenda habemus. Nimiam in judiciis severitatem nonnulli objecere. Attamen ea quæ ad originem Hospitalis pertinent (quæ infra subscribuntur) a Guillelmo Tyrensi, addita insuper exaggeratione ac molestia verborum, mutuatus est; obliquas contra insectationes adversus Hospitalarios repellit, eosque omnis generis laudibus effert :

« Hospitale sancti Joannis a tempore Surianorum et Græco-
« rum, cum adhuc Saracenorum dominio Civitas sancta captiva
« teneretur, initium habuit, in hunc modum. Licet temporibus
« illis totam terram Promissionis Saraceni *peccatis exigentibus*
« occupassent, nulli tamen Christiani de gente Surianorum
« patriam suam deserere noluerunt, sed extremis conditioni-

1. *Hist. litt. de la France*, XVIII, 209 et seq.
2. Jacobus Vitriacensis in *Prologo historiæ hierosolymitanæ* (Bongars, *Gesta Dei per Francos*, I, 1048).

« bus afflicti, et jugo duræ servitutis oppressi, inter Saracenos « habitabant. *Princeps* autem *Ægyptius, qui universas regiones « a Laodicia Syriæ usque ad extremam Ægypti civitatem « Alexandriam possidebat,* quartam civitatis Hierosolymitanæ « portionem ex parte Dominici Sepulchri Surianis et Patriar- « chæ eorum sub annuo tributo ad habitandum concesserat: « alias autem tres portiones inhabitabant Saraceni.

« Unde ex *Occidentalibus* regionibus plerunque ad Terram « promissionis veniebant Christiani, quidam causa *negotia- « tionis* tracti, alii causa *devotionis* et peregrinationis cum « magno periculo, dato Saracenis tributo, *loca sancta visita- « bant: inter quos quidam* de Longobardis et maxime *Amal- « phitani,* de *civitate scilicet Almaphia, quæ non nisi septem « miliaribus distat* ab egregia *civitate Salerno*, quia *merces « peregrinas afferebant,* et principem Ægiptium tributis et « muneribus sibi benevolum et placatum reddiderant, apud « ipsum optimas invenerunt conditiones. Unde ab ipso Principe « facile obtinuerunt ut in *honore beatæ Mariæ* prope ecclesiam « Sepulchri Dominici, *quantum vix jactus est* unius *lapidis,* « ecclesiam Latinorum construerent : eo quod Suriani Græco- « rum consuetudines et instituta in divinis officiis penitus obser- « vabant : unde usque in *hodiernum diem prædicta ecclesia dici- « tur ecclesia sanctæ Mariæ de Latina. Latinum enim Abbatem « et Monachos* more Latinorum divina celebrantes in ea *insti- « tuerunt.*

« Tempore autem procedente *extra septa monasterii,* in quo « mulieres peregrinas recipere ejusdem loci monachi inhones- « tum reputabant, aliud *ordinaverunt monasterium in honore* « beatæ *Mariæ Magdelenæ, et sorores* mulieres religiosas, *quæ « peregrinis mulieribus Latinis in prædicto loco ministrarent,* « et eas in hospitio reciperent. Post hæc vero *confluente Pere- « grinorum multitudine,* cum prædicta monasteria ad reci- « piendos omnes pauperes afflictos et infirmos non sufficerent, « juxta ecclesiam suam prædictus abbas et monachi ad opus « infirmorum et egenorum, Hospitale et capellam in *honore « sancti Joannis Eleemonis in eodem loco construxerunt. Hic « vir* sanctus, *Deo placens*, et *per omnia commendabilis, « Cyprius fuit natione,* et *meritis sanctitatis exigentibus ad « Patriarchatum Alexandrinum fuit vocatus*. Et quoniam in « eleemosynis et *in* aliis *operibus pietatis singulariter præcel- « lebat, Eleemon, id est misericors est appellatus*. Et quoniam

« a principio prædictum xenodochium seu hospitale sancti « Johannis *reditus* vel alias *possessiones* non habebat, de « *fragmentis et reliquiis mensarum* utriusque monasterii, et « de quibusdam eleemosynis fidelium Abbas de Latina, ad quem « illud Hospitale spectabat, pauperibus et infirmis faciebat « provideri. Postquam autem divinæ placuit pietati ut civi- « tatem redemptionis nostræ per Ducem Godefridum et alios « Christi fideles ab impiorum dominio liberaret, et eam cul- « tui restitueret Christiano, vir *quidam* sanctæ vitæ, et *pro-* « *batæ* religionis *nomine Gerardus,* qui *longo tempore de* « *mandato Abbatis in prædicto hospitali pauperibus devote* « *ministraverat,* adjunctis sibi quibusdam honestis et religiosis « viris habitum regularem suscepit, et vestibus suis albam « crucem exerius affigens in pectore, regulæ salutari et honestis « institutionibus facta sollemniter professione, seipsum obli- « gavit. Cui etiam *mulier quædam, Agnes nomine, Romana* « *natione, nobilis carne,* sed nobilior sanctitate, quæ in monas- « terio mulierum vicem gesserat Abbatissæ, in ministerio pau- « perum adjuncta eandem regulam, et humilitatis habitum « votive suscepit. Prædicti igitur fratres humiliter et devote « Domino servientes, et infirmis pauperibus de paupertate sua « diligenter ministrantes, IN AGRO QUI DICITUR ACHELDEMACH, « MORTUOS SUOS SEPELIEBANT. HIC EST AGER ILLE FIGULI, QUI « EMPTUS EST A JUDÆIS IN SEPULTURAM PEREGRINORUM EX TRI- « GINTA ARGENTEIS, QUOS JUDAS IN TEMPLO PROJECIT [1]. Abbati « autem sanctæ Mariæ de Latina, qui prædicti Hospitalis prin- « cipium extiterat, et tam ipsos quam infirmos eorum de « propria mensa diu sustentaverat, obedientiam, et reverentiam « quamdiu pauperes fuerunt, non negaverunt: primum pauper- « tatis suæ patronum et coadjutorem eorum et loci apud « Dominum protectorem beatum Joannem Eleemona devo- « tissime venerantes, et ipsum dominum et advocatum suum

1. « Emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. « Propter hoc vocatus est ager ille Haceldama, hoc est ager San- « guinis... » (Matth., XXVII, 7-8). — Druthmari de Corvey, qui Hospitali hanc sedem primus assignavit, postea testimonium Guillelmus Tyrensis, his verbis, secutus est : « In qua hodie de pretio Salvatoris pro quo « Judas, mercator pessimus, Dominum Judæis tradidit, ager emptus « ostenditur, in sepulturam peregrinorum deputatus cui nomen Achel- « demac » (Guill. Tyr., l. VIII, cap. 2, apud *Hist. occ. des Cr.*, I, 323). — Quo denique Jacobus Vitriacensis, utpote sibi proprio, usus est.

« confitentes; domino etiam Patriarchæ Hierosolymitano de-
« vote obedientes de bonis suis decimas secundum sacros Ca-
« nones et utriusque Testamenti præcepta absque contradic-
« tione reddebant. Orationi autem vacantes, vigiliis et jejuniis
« seipsos affligentes, operibus misericordiæ affluentes, parci
« sibi et austeri; pauperibus autem et infirmis, quos Dominos
« suos appellabant, largi et misericordes existebant. Panes de
« pura simila largiebantur infirmis, residuum vero cum furfure
« ad usus proprios reservabant. Si quis autem inter ipsos in
« aliquo delinquebat, nullo modo relinquebatur impunitum, ne
« facilitas veniæ præberet incentivum delinquendi. Secundum
« enim quod culpæ reatus exigebat, quidam signo Crucis a
« vestimentis avulso tanquam membra putrida prorsus ejicie-
« bantur; alios vinculis et carceri mancipabant; alios ad
« pedes fratrum in terra cibum parcissimum usque ad condi-
« gnam satisfactionem sumere decernebant. Et quoniam Deus
« erat cum eis, ab omnibus amabantur. Unde factum est, quod
« in omnem terram Christianorum exivit sonus eorum, et in
« fines orbis terræ forma sanctitatis eorum. Et quoniam ex
« omni natione, tribu et lingua post Terræ sanctæ liberationem
« Christi fideles Sepulchrum Domini visitaturi Hierosolymis
« confluebant, largitione Principum et eleemosynis fidelium
« modico tempore adeo ditati sunt, quod ab universis Occiden-
« talibus provinciis redditus copiosos colligentes, casalia sibi
« et oppida tanquam terræ Principes comparantes ditioni suae
« subjecerunt. » (Jacobi de Vitriaco *Historia Hierosolymitana* cap. 64 (Bongars, I, 1082-3).

Quæ narravit Jacobus posteri imitati sunt. Exemplo sint Sanutus et Johannes Yprensis, quorum testimonia a cardinale Vitriacensi deprompta nemini dubium.

a) *Marinus Sanutus Torsellus.*

Marinus Sanutus, major natu, cui etiam cognomen Torsellus, seculo XIV° ineunte (1306-21), suum volumen cui titulus : « *Secreta Fidelium Crucis*[1] » edidit, quo principes

1. A. Postansque, *De libro Secretorum Fidelium Crucis* (1854, Monte Pessulano, in-8).

christianos doceret optimam ad recuperandam Palæstinam viam esse si quis non jam amplius cum Ægyptiis, sed cum Indis, nullo intercedente, negotiaretur.

Illo autem in opere, de Bellis Sacris earumque historia tractandum habuit. Ineunte enim operis tertio libro, quæ in Terra Sancta evenerant breviter resumpsit. Priore vero in parte, quæ nempe ad Romanorum usque imperium extenditur, auctor satis habuit Libros Sanctos paucis referre Josephumque scriptorem, immixtis aliquot illepide dictis.

Chronicæ ejus e variis fontibus, ac præsertim e Guillelmo Tyrensi et Jacobo de Vitriaco, defluxere. Plurimas etiam, absque examine ullo, fabellas excepit, inter quas Terram Sanctam in Caroli Magni ditionem redactam commemorat. Quædam reperias quoque quæ ei non immerito tribueris; quum e Jacobo Vitriacensi libentius quam e Guillelmo Tyrensi hauriret, textum de quo antea, veluti a Jacobi testimonio derivatum, protulimus :

« Saracenis etiam totam terram occupantibus, ante tempora « Gotifredi de Bullione, Surianis ibi sub oppressionis jugo ma- « nentibus, concessa est sub annuo tributo quarta pars Civitatis « Jerusalem versus sepulchrum ad habitandum. Et cum ritum « Græcorum in divino officio cuncti servarent, quod Latini « devotionis gratia aut negotiationis causa advenientes, mo- « leste ferebant, a principe Ægyptio, negotiator quidam de « Melphia civitate, quæ prope Salernum sita est, muneribus « placato, precibus multis obtinuit, ut in honorem beatæ « Mariæ prope Ecclesiam Sepulchri Domini, quantum est « jactus lapidis, Ecclesiam Latinorum construeret, unde « usque hodie dicitur Sancta Maria de Latina, Latinum « habens Abbatem et monachos.

« Processu autem temporis, pro Peregrinis recipiendis « mulieribus, aliud monasterium constructum est fœminarum, « ad honorem Mariæ Magdalenæ. Confluente denique tanta « peregrinorum multitudine, ut prædicta duo monasteria ad « recipiendum non sufficerent, juxta Ecclesiam suam prædictus « Abbas et monachi ad opus infirmorum et egenorum, Hospi- « tale et capellam ad honorem Sancti Johannis Elaymon cons- « truxerunt. Hic fuit vir Cyprius, et sanctitatis meritis exigen- « tibus ad Patriarchatum Alexandrinum vocatus ; et quia in

« eleemosynis multum erat liberialis, cæterisque operibus « pietatis, Elaymo, id est misericors, appellatus est : et quia « Xenodochium redditus non habebat, de fragmentis et men- « sarum reliquiis utriusque monasterii, et de quibusdam fide- « lium eleemosynis, Abbas de Latinis provideri faciebat pau- « peribus et infirmis. Conquisita vero terra per Gotifredum, « vir quidam, Geraldus nomine, Christo devotus, qui in præ- « dicto hospitali diu servierat, de prædicti Abbatis mandato, « adjunctis sibi quibusdam honestis viris, habitum regularem « suscepit, et vestibus suis albam crucem affigens exterius « in pectore, et regularia instituta, facta solemni professione « promisit; et fratres Hospitalarii dicti sunt. Hii diligenter « serviebant infirmis et devote dantes infirmis panem de simila; « panem vero cum furfure ad usus proprios retinebant[1]. Præ- « cedente quoque tempore latrunculi, advenientes Peregrinos « aut spoliabant, si poterant; aut, quod est gravius, trucida- « bant. Quidam autem devoti milites Dei, et fraterna karitate « commoti, in manu Patriarchæ voto sollemni se astrinxerunt « ad vias Peregrinis assecurandas, militando summo Regi in « obedientia, sine proprio, et in castitate. Hujus propositi a « principio novem tantum fuere, novemque annis, in seculari « habitu, qualis sibi dabatur a fidelibus, pietatis intuitu suum « officium exequentes. » (Mar. Sanuti Torselli *Secreta fidelium crucis,* l. III, pars VIII (Bongars, II, 178).

b) *Johannes Yprensis.*

Johannes Longus[2], ineunte seculo XIV° natus Ypræ in provincia Flandrensi, habitum monachalem in monasterio S. Bertini ab abbate Henrico de Condescure, qui sedit a 1311 ad 1334, accepit; studiis incubuit philosophiæ et theologiæ ac præcipue juris canonici. Postquam aliquot annis Parisiis erat versatus, ad monasterium reversus, curam causarum forensium abbatiæ suscepit, et anno 1365 abbas electus, plus 17 annis ecclesiam rexit. Anno 1383 (2 jan.) obiit.

1. Quæ sequuntur M. Sanuto propria esse videntur.
2. Vide Prologum, *Chronicæ Johannis Yprensis* præmissum (apud Pertz, XXV, 736-47).

Toto Medio Ævo monasterium S. Bertini studio historiarum præ ceteris excelluit. Ipse ad res scribendas maxime idoneus, chronicas domesticas ab origine monasterii sui usque ad ipsius regimen componendas suscepit, sed ad annum 1294 tantum perfecit. Non solum res abbatiæ, sed historiam universi regni Francorum, præsertim vero Flandriæ, enarrare voluit. « Cum auctor ea parte quam absolvit « res sui temporis nondum attigerit, paucissima ex auditu « referre potuit, cætera omnia ex libris maximam partem « adhuc exstantibus composuit, quos in ditissima libraria « Bertiniana invenit; sed hoc non contentus, etiam ex « abbatiis vicinis, ut in præfatione testatur, sibi libros « comparavit[1]. »

Omnia fere de rebus Terræ Sanctæ et Bellis a Latinis contra Saracenos gestis, quæ multa sunt, ex Marini Sanuti *Secretis,* pauciora ex Jacobi de Vitriaco *Historia Hierosolymitana,* quos auctores ipse in præfatione laudat, duxit. Præterea vero quamdam descriptionem Terræ Sanctæ, ut videtur, exscripsit, in quo Epitaphium Godefridi de Bullione invenitur. Verba ipsa Marini Sanuti, quibus delectatur, conservat. Summum autem et pretiosissimum, quoties de rebus Flandrensibus loquitur, testimonium ejus est habendum, quoniam monumenta quibus ad scribendum usus est, perierunt.

Nobis neque de singulari ac sæpe dura et salebrosa oratione, neque de manca verborum compositione, neque de verborum geminationibus, neque de falsis sententiis curandum censemus. Nam textus, qui ad rem nostram attinent, ex Marino, vel, majore ex parte, e Jacobo Vitriaceasi repetuntur; ideo nihil novi inde nobis exoritur :

« Militares ordines omnes ab ordine nigrorum monachorum « B. Benedicti sumserunt exordium: manu Fratres S. Johannis « in Jerusalem, qui alio nomine dicuntur Hospitalarii, primo « fuerunt Fratres laici sub abbate B. Mariæ de Latinis in Jerusalem ordinis S. Benedicti professi, et sub eodem arma

1. *Ibidem.*

« sumserunt et militiam. Ex eorum exemplo orti sunt alii mili-
« tares religiosi professi. Inceperant autem sic ante tempora
« passagii Godefridi; Saraceni tunc Jerusalem occupantes,
« Græcis et Surianis christianis, sub eorum jugo manentibus,
« quartam partem civitatis Jerusalem versus S. Sepulcrum sub
« tributo concesserant ad inhabitandum : et quoniam ritum
« Græcorum omnes observabant, Latini moleste ferebant hujus-
« modi schismaticis communicare; propter quod quidam mer-
« catores Italici de Amalphia civitate Apuliæ obtinuerunt ab
« Ægypti principe juxta ecclesiam S. Sepulcri ecclesiam
« construi Latinorum. Construxerunt ergo abbatiam ordinis
« S. Benedicti nigrorum monachorum, quæ dicitur B. Mariæ
« de Latinis, Latinos abbatem et conventum habens. Ad quam
« ecclesiam confluere possent ad divinum officium more Ro-
« mano celebrandum.

« Item abbas et monachi in ingressu monasterii sui cons-
« truxerunt hospitale et capellam in honore beati Johannis
« Eleemosynarii, ad Latinos advenas et peregrinos pauperes
« et infirmos recipiendos, ubi abbas et monachi de bonis sibi
« a Deo collatis, fideliumque eleemosynis per certos famulos
« sæculares ipsis necessaria ministrabant. Aliud quoque hospi-
« tale et capellam pro mulieribus recipiendis construxerunt, et
« religiosas ibi mulieres in eo posuerunt ad pauperes et infirmas
« mulieres recipiendum, eisque similiter necessaria minis-
« trabant; sicque duravit usque ad tempora Godefridi.

« Terra sancta et Jherusalem conquisita per Godefridum
« quidam Gerardus, qui in dicto hospitali S. Johannis diu pau-
« peribus servierat, habitum religionis nigrum *ab abbate dicti*
« *locii peciit,* et ejus exemplo plures alii cum eo; abbas autem
« omnes ad religionis habitum et professionem atque suam
« obedienciam suscepit, et sub ejus obediencia *nigrum habitum*
« *nigrumque mantellum deferentes,* fratres laici pauperibus
« ministrabant. Successu vero temporis latrunculis per pa-
« triam discurrentibus, et christianis a patrie defencione
« torpentibus, de mandato sui abbatis arma sumserunt ad
« agros suos et bona tuenda contra latrunculos hujusmodi sic
« discurrentes, pluresque fratres devote confluentes, in idem
« officium receperunt[1]. Tandem cessante malicia predonum,

1. A « Successu vero » usque ad hunc locum Johannes Yprensis Marini Sanuti narrationem imitatus est.

« invalescentibus eciam incursibus Sarracenorum, dominisque « delicatis ac ocio torpentibus, necesse habuerunt non solum « ad defencionem terrarum et prediorum suorum, immo « pocius in patrie defencionem extendere manus. Tum abbas « consilio fratrum eis armorum insignia dedit, cruces albas « nigris suis mantellis superassuendo, idemque signum in « vexillis dedit in patrie defencionem contra inimicos crucis « Christi anno domini 1127 ; *ab hospitali dicti Hospitalarii et « a beato Johanne Elemon fratres Sancti Johannis in Jheru- « salem; qui quamdiu pauperes fuerunt, abbati de Latinis ut « fratres laici sub eo professi devote obediverunt; sed postea « ditati in immensum*[1], abbatie suo postposito soli capitaneo « militari sui ordinis obediunt, tam in bellis quam in pace. « Postea vero, cum Deo placuit christianos per infideles ex- « pellere de Terra Sancta, fratres isti in insula Rodes infide- « libus se opponentes, capud et principale domicilium sui « ordinis statuerunt. » (Joh. Longi *Chron. S. Bertini,* Pertz, xxv, 795-6).

IV. — AUCTORES ITALICI.

Post Guillelmum Tyrensem, quique ejus opus aut produxerunt aut imitatione propius longiusque prosecuti sunt, seriem quamdam documentorum, a præcedentibus omnino diversam, quorum nuncupamus collectionem « Fontes Italicos, » evolvemus.

a) *Amatus de Monte Cassino.*

Amati de Montis Cassini monasterio monachi chronicæ, anno circiter 1078 vel 1080 scriptæ, quæ Normanni veteres ab adventu ad annum 1078 gesserunt, complectitur.

De quo perpauca sunt nota. Salernensi quidem in principatu natus, dein monachorum de Monte Cassino cœtui adscriptus, denique dignitate episcopali insignitus est : sed cuinam sedi (haud scio an ecclesiæ Nuscensi, siquidem

1. J. de Vitr., I, 64, apud Bongarsium, I, 1082-4.

noster idem sit habendus ac S. Amatus) præfuerit, ignoratur. Die martii prima, anno ignoto, obiit.

Textum autem supradictarum chronicarum primigenium verisimile est funditus disperiisse; translatio tantum, gallice XIII° seculo facta, permendosa quidem atque imo interdum obscurior quam ut intelligatur, nobis remanet, quam Champollio, juxta manuscriptum unicum in Bibliotheca Nationali Parisiis asservatum, anno 1835 typis mandavit[1].

Cujus quid sit de auctoritate sentiendum cognoscere nostri summopere refert; quam hinc Champollio prælaudavit, Hirschius contra vehementer oppugnavit : in medio autem stat veritas[2]. Peccaverunt enim, unus quod non satis animadvertit Amatum, utpote Montis Cassini monachum, adeo partibus victoris favere debuisse, ut judicium corrumperetur; alter, quod ferocius in eum invectus est: quod patuit omnibus postquam, novis documentis inventis, Amato, quam detraxerat Hirschius, fides jure restituta est.

Notandum est eum hujusce ætatis cujus memoriam tradidit æqualem fuisse, et narrata non nisi e semetipso hausisse. Notandum quoque in loco de quo nunc agitur:

I. — Hinc eum, ut qui Salernæ, in urbe Amalphiæ vicina, viveret, facilius quæ ad Amalphitanos pertinebant, edoctum fuisse;

II. — Illinc rebus, de quibus antea, adfuisse; unde major auctoritas ejus evadit.

III. — Constat etiam frequentissimas et amicissimas conjunctiones inter Amalphitanos et monachos Montis Cassini habitas, quod Amalphitanus quidam artifex, qui portas aheneas monasterii extrueret, a suis civibus missus est.

IV. — Fac denique Amalphitanos immerito sibimet conditi Hospitalis laudem attribuisse, Beatumque Girardum ut suum atque apud ipsos natum vindicavisse ; nulla de hac

1. B. Capasso, *Le Fonti delle storie delle Provincie Napolitane* (Arch. Napoletano, I, 181-206). — Champollion Figeac, *Ystoire de li Normans*, introduction.

2. T. Hirsch, *Amatus von Monte Cassino und seine Geschichte der Normanner* (Forschungen zur deutschen Geschichte, VIII, 203-323).

legenda, nisi post captam Hierusalem, mentio facta fuisset : quæ contra jam anno circiter 1078 vel 1079 facta est.

« (Circa 1060-1070)[1]... Un noble home de *Malfe*, loquel se « clamoit Maurus, habitoit ad Amalfe, loquel Dieu tout-puis- « sant lo avaet fait riche et lui avoit donné vi filz, de liquel lo « plus grant se clamoit Panthelo. Et non se melloit en la per- « versité de sa gent, més toutéjor estoit devant Dieu, et estant « en Salerne fit moult de consolation, et donnoit solde à ceus « qui alloient au Saint Sépulcre en Jhérusalem, où le vérace « Jeshu-Crist avait esté; ceauz recevoit en sa maison et lor « donoit lor toutes les coses nécessaires, et lor aidoit à « complir lor véage liquel avoient acommencié à faire ; et « avoit fait cert hospital en Anthioce et en Jérusalem, et la « hélémosine de sa ricchesce les soustenoit. Dont la renomée « de cest home corroit quasi par tout, le monde en étoit « plein, si que non solement ceaus qui le conoissoient, mès « cil qui non lo cognoissoient parloient de sa bonté. Et come « est dit desus, quand Gisolfe ala à lo empéreor de Costenti- « noble, il et toute sa gent à les despens de Pantaléon estoient « en sa maison, et estoit son conseillier » (Chron. d'Aymé, l'*Ystoire de li Normans,* ed. Champollion-Figeac, p. 231).

b) *Sicardus Cremonensis.*

Quæ vero sequuntur e Sicardo, Cremonensi episcopo, depromuntur. Anno 1185 ad episcopatum evectus, anno proximo jam inter suos cives et Fredericum imperatorem i pacem conciliavit. Deinde perplura ineuntem itinera conspicimus. Armeniam vero, anno 1203, adiit, ibique versatus est una cum Petro, cardinali apostolicæ sedis legato, et sequenti anno Constantinopolim profectus est. Anno 1215 obiit.

Ab origine mundi usque ad sua tempora gesta chronicis Sicardus perlustrat ; quæ quidem ille congessit usque

1. Est inter scriptores de numero annorum controversia. Quæ de ea conjectavimus, e Schultz (*Denkmäler der Kunst im Mittelalter in Unteritalien*, ii, 242) deprompsimus. Quippe qui qua serie gentis Maurorum Amalphitanorum progenies fuerit propagata, servatis temporibus, explanare tentaverit.

ad tempora Caroli Magni, modico usui futura sunt eruditis : fabulosum aliquid aut male consutum sæpius invenies. Attamen nihil obstat quominus Sicardus suum præsidium et ipse præbere possit, ac potissimum ubi sui aut proxime præteriti temporis acta enarrat[1].

In iis quæ Hospitalis originem respiciunt, nihil, nostra sententia, de ejus auctoritate absolute decernendum. Animadvertatur duntaxat Sicardi testimonium, ortum diversis e fontibus, grave esse et insigne, quod jampridem et multifariam significatum est :

« Anno domini MLXXXIV ; his temporibus sancta civi- « tate Hierusalem tamdiu a gentibus possessa, quum merca- « tores Christiani venirent ad eam, et aurum pro tributo in « porta persolverent, sed non haberent, nisi cum gentibus, « ubi caput reclinarent, mercatores Amelphitani plateam « vacuam, ante portam ecclesiæ dicti Sepulcri, a civitatis « principe impetrantes asylium, de suo communi ædificant « juxta monasterium eorumdem ; quod usque hodie Sancta « Maria de Latina vocatur, in quo possent Christiani manere « quum contingeret eos accedere, posueruntque custodes « qui deberent Christianos recipere. » (Sicardi Cremonensis *Chronic.* Muratori VII, 586.)

c) *Anonymus apud Ughelli.*

Testimonio præcedenti, quoniam ex eadem familia, scilicet Italica, procedit, subditur aliquis textus, quem Ughelli[2], sicut ipse fatetur, ex quibusdam Amalphitanis Chronicis deprompsit. De Chronica autem ista nihil aliud nacti sumus ; itaque, quod æstimare nequeamus, referre tantum liceat.

(Circa 1082.) « Hic (Johannes, archiepiscopus Amalphi- « tanus) profectus est in Palestinam, loca sancta visitandi « gratia, ubi summo cum honore receptus fuit ab Amalfitanis ; « qui Hierosolymis paucis ante annis duo extruxerant Hospi-

1. Muratori (*Rerum Italicarum Scriptores*, VII, 523-527, passim).
2. *Italia sacra*, Romæ, 1643-62, 9 vol. in-fol.

« talia ad homines et mulieres recipiendos, in quibus et ale-
« bantur, et infirmi curabantur, defendentes eos a Saracenis,
« et ut facilius id exequerentur vitam religiosam fere insti-
« tuerant. Joannes vero archiepiscopus, sicut Domino pla-
« cuit, migravit ex hoc mundo in Damiata, et ibidem sepultus
« est. » (Ex *Vet. chron. Amalph.* apud Ughelli, *Italia Sacra,* VII, 260.)

II.

TESTIMONIA SPECIALIA E STATUTIS HOSPITALIS EXCERPTA.

Testimoniorum ad originem historiamque ordinis pertinentium, posterior classis de collectionibus Statutorum et Esgardiorum, omnibus temporibus ad usum Hospitalis fratrum conscriptorum, decerpitur. Attenta igitur mente, quæ sit peculiaris eorum natura, intuenti facile patebit ea prorsus a præcedentibus differre.

Statutorum istorum compositionem explicare imprimis decernimus, deinde textibus, quos ad propositum nostrum idoneos collegimus, incumbere [1].

Ordinis Hospitalis Regula, a magistro Raimundo de Podio, ineunte XII° seculo inventa, a Lucio papa III°, ad re-

1. Codices, quibus antiquiora Statuta et Esgardia continentur, enumerare liceat. Addidimus unicuique litteram unde ab aliis discernatur, ut quæ de unoquoque dixerimus clariora appareant:

P[1]	Cod. membr. in bibliotheca nationali Parisiensi,	gall.	6049,	sec. XIV.
P[2]	—	—	1978,	sec. XIV.
P[3]	Cod. chart.	—	13531,	sec. XIV.
P[4]	—	—	1079,	sec. XV.
P[5]	Cod. membr.	—	1080,	sec. XV.
P[6]	Cod. chart.	—	17255,	sec. XV.
P[7]	—	—	1979,	sec. XIV.
M	Cod. membr. in bibl. fac. med. Montispessulani	—	372,	sec. XIV.
M[1]	Cod. membr. in archivio Melitensi,	— div. I vol.	69,	sec. XIV.
T	Cod. membr. in athenæo Taurinensi,	— LV	45,	sec. XIV.

quisitionem[1] magistri Rogerii, confirmata est (1185). Sed brevi hanc Regulam transcribere necesse fuit, ut variæ decisiones, a Capitulis generalibus novissime edictæ, quibus aut immutabantur aut explebantur principia jampridem a Raimundo de Podio posita, adscriberentur.

Redactio prima a Guillelmo de Sancto Stephano scripta est, anno circiter 1290[2]. Præter Regulam complectitur :

1° Privilegium panis candidi, ægrotantibus dandi, atque magistri Josberti Statuta[3] (1176).

2° Usus ecclesiæ Hospitalis Hierusalem[4].

3° Statuta in Capitulo generali anno 1181 edita[5].

4° Statuta magistri Alphonsi de Portugallia in Capitulo apud Margatum, circa annum 1200, promulgata.

5° Statuta in Capitulis annorum 1262, 1265, 1266, 1270, 1278 et 1287 lata.

Illa redactio Statuta Nicolaï Lorgue (1283) non continet. Quæ in computandis Capitulorum generalium temporibus non perfecte cum manuscriptis recentioribus concordant.

Sed eximia auctoritatis nota insignitur : perscriptor enim acta, unde textum eduxerat, sedulo refert et in fac-

T^1	Cod. chart. in archivio publico Tolosano,	nº 1,	sec. XV.
T^2	Cod. chart. —	nº IV,	sec. XV.
T^3	Cod. chart. —	nº III,	sec. XV.
T^4	Cod. chart. —	nº V,	sec. XIV.
T^5	Cod. chart. —	nº VI,	sec. XIV.
V	Cod. chart. in bibl. regia Vindobonensi,	nº 3323,	sec. XV.
A	Cod. chart. in archivio Complutensi,	nº 1,	sec. XIV
A^1	Cod. membr. —	nº 2,	sec. XV.
R	Cod. chart. in bibliotheca Vaticana,	nº 3136,	sec. XIV.
R^1	Cod. membr. —	nº 4852,	sec. XIII.
F	Cod. chart. in bibliotheca nat. Florentina, cl. XXXII	cod. 37,	sec. XV.
M^2	Rotulus in archivio publico Massiliensi, cl. II, capsa 6,	fasc. 53,	sec. XIII.
D	Cod. chart. in archivio publico Divionensi, cl. H,	cod. 111,	sec. XV.

1. 22 apr. 1185 (ind. IV Veronæ, pont. anno IV). — Ed. P.-A. Paoli, *dell' origine ed istituto...*, Appendix instrumentorum, p. XVIII-XXXI.

2. Continetur Romæ in manuscripto Vaticano R^1.

3. Ed. P. A. Paoli, *dell' origine ed istituto,* Appendix instrumentorum, p. XI-XII.

4. Ed. P. A. Paoli, *ibid.*, p. XLIII-XLIV.

5. Ed. P. A. Paoli, *ibid.*, p. XLV-L.

simile depingit. Rotam, subscriptionem Lucii papæ III[i] (f° XV°) bullasque plumbeas, quæ textum transcriptum authenticum faciebant, diligentissime exprimit. Folio enim 73 legimus : « Ci fenissent les establissemens et la grant cartre « boulée de plomb, et comentant ceaus de la petite. » Item, folio 32 : « Toutes celles choses dessus escriptes « furent translatées de III escriz boulés de plomb, si com se « contient desseurement. Le premier est de la boule dou « pape, le segont de maistre Amphos, le tiers de maistre « Hugue Revel ; mais l'escrit de maistre Hugue est en II « chartres, une grant et autre petite ; et envers la fin de la « petite, boulée des coinz de maistre Hugue, sont les esta- « blissemens que maistre Nichole fist la premiere année, « ainz que ses coins furent fait. »

Redactio vero, et quidem ex industria, lingua vulgari conscribitur, quia ex edicto Alphonsi de Portugallia, Hospitalis magistri, translatio Privilegiorum Statutorumque ordinis a lingua latina in romanam præcepta fuerat.

Hoc autem maximi momenti habeatur : nam, ex antea dictis per similitudinem atque analogiam ratiocinando, Miracula et Exordium, de quibus inferius disseremus, simul fuisse imprimis vulgari idiomate scripta nobis apparuit.

Hospitalarii, postquam e Terra Sancta expulsi sunt, papam ut iterum et Privilegia et Regulam ordinis sanciret, rogaverunt. Exinde nova exsurrexit redactio, non ad ea quæ Lucius III confirmaverat, sed ad ea quibus Bonifacius VIII rata jam antea roboraverat, accommodata.

Anno circiter 1299 conscripta est, et auctorem Guillelmum de S. Stephano, tunc Cypri rectorem, habet. Maxime huic propria videtur. Legi potest in codice P[1] :

« Ci fenist la recordation et les establimens dou Margat. « — Ci testimoigne le conpileor de cest lievre que il vit cestes « choses, bullés soute la bule de Lucius pape et de maistre « Aufons. Et devise aucunes coustumes et ajostances, qui « fuent jointes par aucun leuc de regle au Margat[1].

[1] Hæc verba in manuscripto rubrica pinguntur.

« Se sont les ordenemens desus escris, si come la regle et « les autres ordenemens. Je vis et tins en mes mains bulles « de plomb. Ce est assavoir la Regle, si come vous l'avé oye « devant, qui estoit bullée de la bulle apostolial, et de l'apos- « toille Lucius, et estoit en latin. Et puis la fais translater et « metre en francès, si come est dite et translatée devant le « contrescrit en latin. Quant je parti dou priouré de Lom- « bardie, demora là les autres choses (f° 241) ensi avant: c'est « le previlege que maistre Jobert fit de pein blanc, et les autres « ordenations que il fist. Et celes qui vienent apres de maistre « Rogier de Molix, et puis la recordacion dou Margat atresi. « Je vis et tins et oys proprement por faire contrescrire. Et « estoit bullée de la bulle de plomb dou nom de maistre Au- « fons, lesquels je fis contrescrire autresi en latin. Et ce lievre « fu compilé. Je auce le dit contrescrit, qui proprement fu pris « de sous la bulle de maistre Aufons, et la voié en Chipre.

« Cestes choses ay ci dit porce que la dite Regle, qui estoit « bullée de la bulle de l'apostoly, et les autres choses que « estoient soute la bulle de maistre Aufons, furent perdues à « la perte d'Acre; si que, au lor que cest livre fut conpilé, « nous non avions regle bullée dou pape, ne les choses desus « escrites, recordées et confermées au Margat, non avions- « nous sous nule bulle. Et por ce que elles ne fussent mises « en obli par negligence, ou que autre error non fust per au- « cuns escris descordables des escris qui les freres ont, ay-je « dit là où la vérité seroit trovée. Et qui le eusse la Regle « contrescrite sous la bulle dou pape et les ordenemens desus « dis bullés sous la bulle (f° 241 *b*) de maistre Aufons, je trais « à testimoingne frere Brun[1], qui estoit tresourier au jour, et « avoit la dite regle et escrit fait au Margat en sa garde, « qui les presta por faire contrescrire.

« De ce meismes[2]. — Meismes as diz escritz fais au Margat « contenoit la regle, laqual regle et tous les escritz desus ditz « estoient en une chartre, bullée souz la bulle de plomb au « nom doudit maistre Aufons.

« De ce maismes[3]. — Aucunes choses ajosterent lois à la

1. Fratris hujus nomen reperies inter testium nomina qui donationi cuidam, Hospitali S. Johannis Hierusalem anno 1204 factæ adfuerunt. (Pauli, *Cod. Dipl.* I, p. 93).
2. Hæc tria verba rubrica pinguntur.
3. Hæc tria verba rubrica pinguntur.

« droite escripture de la Regle, laquel ajostance tient leuc so-
« lement d'establiment, non pais de Regle. Et nous avons pas
« juste user de toutz selonc celes ajostances. Car où la Regle
« parole de III choses que l'en doit prometre, l'ajostance par
« la main dou prestre et por livre, mas l'usance si est que le
« bailli ou autre des freres qui face aucun frere tiegne en ses
« mains le livre sur lequel cil qui doivent estre frere pro-
« metent. Et puis le porte sur l'auter, et le reporte au bailli se
« il le feit frere, ou à autre des freres que il aura fait frere.
« Encore un changement yst..... » (Ex codice manuscripto Bibl. nat. Paris. gallico 6149, f. 241 *a b*.)

Ibidem colliguntur prioris redactionis Privilegia, Statuta in Capitulis generalibus usque ad annum 1303 promulgata, Miracula, usus Esgardiorum, deprecationes etc... Secunda vero pars hujus operis aliam redactionem antiquiorum Privilegiorum, Dissertationem historicam, Regulæque adscriptas annotationes continet, et aliquo morali tractatu de jure, auctore M. Tullio, terminatur. Animadvertendum insuper, quanta cum cura, quamvis his temporibus fere inaudita, fontes e quibus hausit auctor citaverit.

Aliam ordinationem aliud manuscriptum paulo post (anno 1315), jubente Daniele de S. Stephano, fratris Ph. de Gragnana visitatoris generalis priorisque Lombardiæ locum tenente, editum, præbet.

Abstractis autem Exordio et Miraculis, in partes duas, hinc scilicet Regulam Statutaque, illinc Esgardia usque ad annum 1302 lata, dividitur. Inter Esgardia refertur Godefridi de Bullione privilegium, quod in Exordio vulgo inclusum nancisceris.

Illa redactione transitur ad manuscripta anno 1300 posteriora, in quibus eadem semper adsunt elementa, certo ordine copulata, scilicet :

1° Miracula.

2° Regula et Statuta, servatis temporibus, ordinata usque ad ætatem in qua mss. conscriptum est[1].

1. Successu temporum Statuta parum mutata sunt, exceptis his quæ, a Fulcone de Villareto promulgata, in manuscriptis, utpote posterius a

3° (sed non semper) Esgardiorum usus[1].

Adveniente vero Petro d'Aubusson, anno 1489, digeredæ materiæ nova ratio inita est, rebus magis quam verbis innixa : itaque Esgardia una cum Statutis, prout natura jubebat, confusa sunt. Quorum series sic se habet :

Iª Pars	1° De initio Religionis 2° De Regula 3° De Receptione militum
IIª Pars	1° De Ecclesia 2° De Hospitalite 3° De Communi Ærario 4° De Capitulo 5° De Concilio 6° De Sgardio
IIIª Pars	1° De Magistro 2° De Baiulivis 3° De Prioribus 4° De Officio fratrum
IVª Pars	1° De Electionibus 2° De Collationibus 3° De Alienationibus 4° De Arrendamentis

Loco Legendæ vel criticæ Dissertationis adest præfatio quædam, primæ parti prævia. Lingua latina, vel gallica, vel alia quacumque scribuntur hæc Statuta. In Statutis iterum typis mandatis idem ordo est asservatus, quorum prima, latine impressa, habemus sub titulo : « Prohemium in volu- « men stabilimentorum Rhodiorum Militum Sacri ordinis « hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani » — Explicit liber : « Stabilimenta militum hierosolymitanorum diligen- « tissime Ulme impressa per Jo | annem Reger de Remnat. « Anno ab incarnatione Dominica Millesimo quadrin | gen « tesimo sexto. Die XXIII. Augusti » — Adjiciuntur libro plurimæ ligneæ incisiones.

papa revocata, vulgo omittuntur. Quorum tamen nonnulla Statutis ab Helione de Villanova editis (sub numeris 27-48) inserta sunt.

1. Qui enim Usus manuscriptis in plurimis deficiunt.

Sed paulo post, scilicet in Capitulo generali Rhodi, die 5 Augusti 1493, celebrato « quia variis vernaculis linguis « (ut propria Statuti verba usurpemus) commilitones nostri « pro genialis patriæ more utuntur, nec linguæ latinæ fami- « liares existunt, veluti militiæ sanctæ exercitio intenti, « necessum fuit volumen Stabilimentum, lingua latina edi- « tum, in varias vernaculas linguas vertere »; qui usus ex hoc tempore constanter viguit.

I. — LEGENDA HOSPITALIS (MIRACULA).

1° *De origine Legendæ.*

Hospitalis antiquitas quantacumque sit, quæcumque et ejusdem primordia, certum est tamen, centum annis post primam Crucis prædicationem nondum elapsis, gratia insignis impetus qui plerasque gentes christianas ad Orientales proripiebat plagas (qui impetus quam quisquam excogitare potest major fuit), Hospitale opulentissimum florentissimumque fuisse. Hujus enim ordinis milites multis in discriminibus inter christianos in prima acie claruerant.

Eum tamen Bellorum Sacrorum ardorem celeriter deferbuisse constat; nam ad corroborandum suum imperium Orientales christiani plurima subsidia Occidentales erogare debuere, qui eo parcius subministrabant, quo celerius fervor refrigescebat. Itaque facile intelligitur quo modo gesta illa Hospitalariorum, Templariis ac Teutonicis antiquitate præcellentium, tantam admirationem, vixdum elapso a prima christianorum expeditione integro seculo, excitare valuerint. Quid igitur mirum si quidam, immodice mirati, ad accipiendas temere fabellas, quibus innitebantur Hospitalis incunabula, aptissimi fuerint?

Illis insuper temporibus, fieri potuit ut quidam fratres Hospitalis, dum pecuniam a fidelibus petitam colligerent, audientium credulitate abutendo, perplura miraculosa fabulati fuerint, sperantes forsan sese eo copiosiora accepturos esse quo incredibiliora narravissent.

Eam fuisse Miraculorum originem Exordii auctor censet[1]; nos vero, alias insuper causas fuisse rati, hactenus opinionis ejus participes sumus ut concedamus monachos illos varias voces et fabulas, per ora omnium tradita, excepisse atque in unum redegisse. Quiquid id est, ea fuit per totum Medium Ævum Miraculis adhibita fides ut vera fuisse universe crederentur, Innocentiusque papa IV, in bulla die 9 Apr. 1254 lata, fabulosam Hospitalis originem quasi consecraverit[2]. Nil dubium quin, tanta auctoritate fulta, Legenda inconsulte a christianis admissa fuerit, nullamque sibi Exordium audientiam fecerit.

2° *De ætate Legendæ.*

Nunc autem in lubrico loco versor, et quæstionem valde difficilem, de qua non ambigi omnino non potest, aggredior. In primis enim ipsius Legendæ, dein variarum ejusdem versionum ætatem quam diligentissime exquirere nobis incumbit.

De singulis redactionibus absolvendum paulo post habebimus : in præsens vero, notare sufficiat vetustissimam ex omnibus, quæ supersunt, ex ultimis XIII[i] vel XIV[i] seculi annis originem ducere : unde terminus extremus Legendæ nobis assignatur.

Alia autem ex parte sedulo animadvertatur illo in opere, quod ita scriptum et traditum est ut nulla immutari aut interpolari possent, auctorem de obsidione Hierusalem (1099) nonnulla, cum Miraculis validissima compage copulata, dixisse; inde apparet Legendam non ante Bella Sacra existere potuisse. Certiora etiam tempora determinare valemus.

Omnibus enim in manuscriptis, ad partem prædictæ Le-

1. « Mais je esme que questeors por mieaus gaignier troverent celes « choses » (Bibl. nat. Paris., Gall. 6049, f. 55 ; — Taurin. LV, 45, f. 5).
2. « Quot et quantis » (Cod. Monacensis lat., 4620, f. 131 *a*-132 *a*) ; verba Innocentii IV inferius (p. 52), quum de *miraculis Novi Testamenti* agetur, reperies.

gendæ postremam, paucis verbis exponuntur gesta quum Girardi, tum successoris ejus Raimundi de Podio. Præterea de confirmatione Statutorum, ab Innocentio papa IIº indulta, mentio continetur. Verumtamen inter prædicta scripta, quæ haudquaquam ante seculum XIVm edita fuere, nullum prorsus exstat in quo de Raimundi successoribus aut de ordinis incremento post eumdem, vel minima reperiantur. Quibus positis, hanc Legendam tempore Raimundi definitam fuisse, id est annis circiter 1140-1150, opinari nonne licet?

Eo etiam probabilior nobis hæc sententia videtur quod sub idem tempus Hospitalariorum fabulosa gesta concludere decebat : nam postquam ordini portentosa, ut ita dicam, incrementa Girardus et Raimundus, exstructis ecclesia conventuque et castellis, addiderant, a fabulis ad certarum rerum historiam narratio sponte deflexit[1].

Ceterum, quum, Ludovico Francorum rege VII, Sacram expeditionem parante, rebus præsentibus peropportuna futura esset Legenda, quid obstat quin censeamus eam tum ad stimulandos christianos aut elicienda subsidia vulgatam esse? Quod plerumque, incipientibus hujusmodi bellis, fieri solebat[2].

3º *Quinam hujus Legendæ sermo nativus.*

Quo primum sermone Legenda scripta fuerit, anquirere operæ pretium est. Vulgari, ut opinor, nisi forte credas

1. In codice tamen Vaticano R addita quædam reperies, quæcumque scilicet peculiariter ad promulgata ante fr. Guillelmi de Villareto magisterium (1300-6) Statuta pertinent, et ad confirmatam non jam ab Innocentio IIº, sed ab Eugenio IIIº Regulam. Quæ quidem, necessitate quasi cogente, interpolata fuisse constat, ut Legendæ pars, in qua de confirmatis Statutis agebatur, ad verum corrigeretur. Hoc idem in aliis manuscriptis evenit ut (vide textum Miraculorum in Appendice) priori Innocentii II posterior Bonifacii VIII confirmatio superadderetur. Nulla vero, ne minima quidem, a 1150 ad 1293 ad ordinis historiam spectantia relata invenies. — Unde sententia nostra, de qua superius, corroboratur et majore quadam vi fulcitur.

2. Vide Comitis P. Riant librum, cui titulus : *Invent. crit. des Lettr. hist. des Croisades* (Parisiis, 1880, in-8º).

futurum fuisse ut narrationes, ad vulgi aures et sensus accomodatissimæ, majorem virtutem e doctorum et eruditorum lingua quam e vulgari eloquio ad pervincendos populares animos educerent! — At enim sunt codices quidam manuscripti in quibus incerti nominis auctor a Deo rogat ut sibi res a latina in romanam linguam traducturo opem subministret[1]. — Quid vero? Locus iste, quamvis potentissimus videatur, non inexpugnabilis, si animadvertamus verba, de quibus agitur, ad recentiora manuscripta (quæ inferius 3æ redactioni adscribemus) pertinere, in antiquioribus autem (1æ et 2æ redactionis) deficere. Nonne enim, si reipsa latine primum scripta fuisset Legenda, non jam novissimorum sed antiquissimorum codicum translatores legentium veniam exorassent?

Ut objecta magis etiam imminuantur, oportet reputemus Hospitalis Statuta semper ab Alphonsi de Portugallia magisterio, idest a XIIIº seculo, gallice scripta esse[2] — Ea quidem Petrus d'Aubusson in latinum anno 1489 transferri jussit; cujus conscriptionis adeo tœduit ut, vix quarto anno perfecto, rursus in vulgare eloquium traducenda esse Statuta Capitulum censuerit[3]. Inde, similia similibus conferendo, gallice quoque edita esse Miracula arbitrari æquum est.

Ceterum, etsi Miraculorum 13 manuscripta desinente XVº seculo anteriora habemus, quorum sunt

10 — Gallica
1 — Italicum
1 — Provinciale
1 — Catalanum,

quatuor tantum latine expressa nacti sumus. Quorum primum, quod apud *Monasticon Anglicanum* invenitur, si omnia perpenderimus, nihil aliud quam tertiæ Miraculorum redactionis textus, id est a vulgari eloquio in latinam lin-

1. « Dieu omnipotent nous soit vray aideur que nous puissions dire « et retraire si bien de latin en françoys » (Bibl. nat. Paris., Gall. 1080). In mss. P⁷ : *de latin en romans*.
2. Cod. Vatic. n. 4852 (R¹), f. 49.
3. Vide supra, p. 43-4.

guam translatio est. Documento sint hæc in latina conscriptione, de qua supra, edita: « quod non possimus dicere et « retrahere de latino in grammaticam ». Quæ excusatio, si ab initio textus latine confectus esset, foret hercule supervacanea — Secundum et tertium (Bibl. nat. Paris., lat. 5515, f. 76-9, et 14693, f. 51-52 v°) inter quædam latine scripta quibus hic « *Flos historiarum Terræ Sanctæ, auctore Haytono* » titulus inscribitur, tertiæ redactionis Miracula, liberrime quidem explicata, continent. Novimus autem Haythoni opus, primum gallice scriptum, deinde in latinum, jubente Clemente papa v°, anno 1307 translatum esse. — Quartum tandem (Codex Monacensis 4620, f. 115 [1], excunte xiii° seculo exaratus), nihil aliud quam secundæ redactionis translationem, eleganti sermone conditam, continet, ut facile appareat inspicienti quæ addita, aut detracta, aut ab auctore depravata fuerint [2]. Nihil igitur ex iis manuscriptis ad præsentem expediendam quæstionem educi potest.

Nota denique futurum fuisse ut quæ gallica lingua vulgarentur, gallica quoque conscriberentur Legendæ. In Orientis enim maturius quam in Occidentis partibus, idcirco quod plerique eorum qui Terræ sanctæ subsidio venirent, bellis libentius studerent quam litteris, vulgique magis quam doctorum linguam haberent in promptu, eloquium vulgare a loquentibus scribentibusve usurpatum est.

4° *Variæ redactiones.*

Libros in quibus Miracula describuntur perscrutando, tres diversas redactiones reperimus: quarum primæ secunda supperaddit multa, pauca vero tertia: quod cuilibet

1. « Tractatus Yosephi hystoriographi de Exordio sacre domus Hospi-« talis Ierosolimitani. »

2. Exemplo sit locus ille, quem minime Yosephus intellexit: « Celui « frere Raymond fist les establimenz de la maison de l'ospital de Jeru-« salem qui encore sont tenuz. » Quum enim sic transtulerit: « Is etiam « regulam et constitutiones consilio fratrum et capituli statuit quæ in « domo Hospitalis precipiuntur summa cum devocione servari. »

textus in appendice collectos perlustranti apparebit. Aperietur quoque ibidem qua ratione alia aliis scripta aut ordinanda præposuerimus, aut edenda prætulerimus.

Quæ autem contineat unaquæque conscriptio breviter nunc explicandum.

Prima, omnium brevissima, omnia tamen Miraculorum semina, ut ita dicam, complectitur, excepto quidem uno duntaxat, quod in codice unico invenitur, scilicet Ananiæ et Saphiræ Legenda.

Alia vero Miracula ibidem sequuntur, nempe :

1° Melchioris miraculum;

2° Zachariæ sacrificantis miraculum;

3° Quomodo Julianus Romanus enatare potuit;

4° Quomodo in Hospitalis sedem et Christus venerit, et Virgo post filium defunctum recesserit, et Apostoli ad eligendum septem diaconos convenerint.

5° Girardi, Hospitalis magistri, miraculum,

Altera conscriptio latius extenditur; in qua quæ ad Virginem aut Christum in superioribus codicibus spectabant, amplificata sunt, adjectis et gratis in ædibus Hospitalis collocatis quæcumque aut dixisse aut fecisse Christum Virginemque fama referebat. Eodem modo tota ab Evangelio detrahitur pagina, quæ Christum male credenti Thomæ visum esse commemorat. (Quæ narrandi commoda satis ratio quodam alio in manuscripto, unico quidem, sæpius usurpatur) [1]. Adduntur insuper procemium, miraculumque Ananiæ et Saphiræ, et breve de Girardo et Raimundo de Podio documentum, et ad Deum Hospitalariis conciliandum peroratio.

Tertia conscriptio, exceptis quibusdam sententiis, secundæ similis est.

Qui fit ut tres illæ redactiones manaverint fere uno amne, ut ita dicam, nedum diverso decursu (quod sæpe accidit iis quæ ad vulgi delectationem aut incitationem componuntur) hinc atque hinc defluerent ? Nempe Legenda non privato quodam ac fortuito casu, sed palam ac publica

1. In Cod. Vaticano 3136 (R).

ordinis auctoritate nobis transmissa est. In capite enim Statutorum ad usum Hospitalariorum posita est, eumdemque locum, quotiescumque refecta fuerunt Statuta, paucissimis tantum mutatis verbis, servavit.

Quotiescumque vero non tertiæ, ab anno 1320 ad annum 1350 conscriptæ, sed alii cuilibet redactioni incidimus, non legitimum ac publicum Statutorum manuscriptum, sed privatum atque uni ex equitibus alicuive compilationum auctori proprium ac peculiare, ante oculos habemus. Hujusmodi sunt aut mss. P[1], auctore Guillelmo de S. Stephano, quod, ab aliis dissimile, Legendæ primam et tertiam redactionem amplectitur, aut mss. P[3] (an. 1320) quod unum ex omnibus secundam redactionem continet, nec ullo modo solito in Statutis enuntiandis ordini obnoxium est.

Manifestiora eadem videbuntur, quum de Exordio agetur. Quod, ut e communibus ac publice evulgatis Statutorum manuscriptis abest, sic privatis in illis legitur.

5° *Quomodo Legenda composita fuerit.*

Credere est Legendam nostram, legendarum ritu quibus incunabula sua Carmelitæ involverunt, ex omnibus partibus fictam esse; sic enim abhorret ab omnibus quæcumque per Medium Ævum inventæ sunt, ut ne minima quidem affinitate cum qualibet earum conjungatur.

In qua, si quis elementa ad minimum redigit, reperiuntur :

1° Miracula ante Christi adventum perfecta;

2° Variæ res quas, in novo Testamento narratas, favente Scripturarum silentio, in ædibus Hospitalis acceptas esse ultro asseruit Legenda ;

3° Miraculum quod, ad Girardum pertinens, Sacrorum Bellorum tempore patratum est.

Quorum singula quæque, in tres classes distributa, paucissimis verbis circumspiciemus.

a) MIRACULA ANTE CHRISTI ADVENTUM PERFECTA.

Tria sunt in capite hoc disponenda, scilicet:

1° Melchioris et Antiochi miraculum. — Decreverat rex Antiochus Melchiorem sacerdotem castigare, quod tumulum Davidicum violaverat. Tum Deus Antiochum, in montem Calvariæ transportatum, parcere Melchiori, et hospitium in eodem loco condere jubet: jubenti rex obsecutus, duodecim millia drachmarum ad ædes exstruendas largitur.

Quo a fonte narrationis hujus prima defluat origo, neminem fugit; in secundo enim Macchabæorum libro legitur Heliodorum, jubente Seleuco rege, Templi thesauris potitum, fulgure cecidisse[1]; in alio ejusdem libri loco, a Juda Macchabæo invenitur precuniam datam esse ut oraretur pro mortuis, et, ne ambigatur id, versiculus quidam Sanctæ Scripturæ refertur[2]. Quo modo inde miraculum ortum fuerit, liquet. Fictum est scilicet rei Deum intervenisse, Melchiorem, unum ex Magis, Judæorum sacerdotem exstitisse, et pecuniam non jam mortuis sed ægrotantibus destinatam esse; unde, confusis certis cum commenticiis, miraculum quale nunc habemus conflatum est.

2° Zachariæ sacrificantis miraculum. — Zachariæ sacrificanti coram Deus mortem Melchioris nuntiat, eumque Hierusalem cum Johanne filio et uxore adire, ibique pauperibus, donec adveniat Julianus Romanus, opitulari jubet. Facile intelligitur illuc Zachariam, S. Johannis patrem, ideo quod eumdem S. Johannem Hospitalarii patronum suum agnoscerent, fuisse introductum; cetera quæ ad Dei interventum attinent, in plerisque legendis existere solent.

3° Juliani Romani naufragium. — Julianus Romanus, in Terram Sanctam, qui tributa exigeret ab imperatore Octaviano missus, quum naufragium propre Rhodum perpessus esset, et periculum, Christo præsente ac protegente, evasisset, ad christianorum fidem se convertit. Tum Dominus eum certiorem facit fore ut, postquam Sancto

1. Mac., l. II, c. 3.
2. Mac., l. II, c. 12 ỷ. 43.

Zachariæ successerit, ab ipso Christo in ædibus Hospitalis adeatur atque invisatur. Sic Legenda prioris Testamenti miracula recentioris miraculis, servato ordine temporum, annectit.

b) NOVI TESTAMENTI MIRACULA.

Pars illa Legendæ, brevior in prima, longior et amplior in secunda redactione, perfacili modo conflata est. Nempe quæcumque a Christo aut ejus familiaribus, sine ulla locorum descriptione, aut dicta aut facta in Evangelio narrantur, iis omnibus communis locus Hospitale assignatur. Unde fit ut in Hospitalis domo simul et Virgo, dum supplicium patitur filius, anxia permaneat[1], et Thomæ Christus, e sepulcro surrectus, ostendatur, et deligantur septem diaconi (*Act. Apost.*); non alio quoque artificio simulatum est pecuniam, quam Ananias et Saphira, quum sese conversos mentirentur (quam culpam Deus mox ulturus erat), promiserant, Hospitalis pauperibus reservatam esse.

Componendæ Legendæ ea fuit expedita et maligno ingenio satis opportuna ratio.

c) ELEMENTA BELLIS SACRIS COOEVA.

1° Girardi miraculum. — Nunc autem transeundum ad miraculum, vere proprieque dictum. Dum Hierosolyma oppugnabatur, Girardus, Hospitalis magister, summis e mœnibus contra obsidentes panem, non obstante penuria suorum, pro lapidibus projiciebat. Observatus autem, deinde proditionis delatus, ad sultanum ducitur; tum vero panibus in lapides subito conversis, delatores ipsos sultanus punit, nedum in Girardum sæviat[2].

1. Leguntur in bulla Innocentii IV, sub data 9 apr. 1254, quæ sequuntur: « Quam domum dominus et salvator mundi, Dei filius, factus « homo ex Virgine natus, egressu et regressu sanctificavit, signis et « prodigiis ac sanctissima conversatione in perpetuum suo nomini dedi- « cavit, in qua domo Mater Dei, Virgo immaculata, post ascensionem « dilecti filii sui perseverans, mansit tribus annis et dimidio: quo « etiam in loco commendata est Virgini Virgo ». (Cod. Monacensis lat. 4620, f. 131-2).

2. Christiani, ut referunt legendæ, in Islandiæ insula sec. XIV° exaratæ,

Animadvertendum est insuper hic primum istius modi miraculum apud Medii Ævi auctores apparere. Scimus enim simile quoddam reperiri in vita S. Cuneræ virginis, martyris Rhenis apud Belgas in diocesi Ultrajectina, circa annum 700 florentis[1], et S. Bonifacii, archiepiscopi Moguntini, seculo VIII sedem hanc occupantis[2]. Lapides quoque in panem conversos, S. Guidonis[3] et S. Veremundi, abbatis Hyrachensis[4], ope, panem quoque in rosas, interveniente S. Casilda, virgine, Burgis in Hispania[5], transmutatum constat. De posterioribus Girardo, ejusdem generis miraculis disserendi non hic locus; panem in lapides aut carbones versum, quum de viris agitur, in rosas autem quum de feminis, constanter apud vitam Sanctorum referentes narratur, ita ut non solum Girardus prioribus æmulus, sed Girardo posteriores æmuli exstiterint[6].

Ceterum ibi non de somnio, aut quadam vana specie, dubiove cœlestium interventu, sed de vero atque ad annum certum 1099 relato miraculo agitur. Illud ergo nos magni facimus : nam hoc, uno dempto quod panis in lapides conversus fuerit, vera indagantes tria docet : primum,

quæ Robertum Normannensem, Guillelmi, Anglorum regis, filium, in Terra Sancta bellantem inducunt, Hierosolymam obsidentes, panes in quibus litteræ, principum sigillis munitæ, inclusæ fuerant, machinarum ope intra muros projecerant, rursusque christiani, qui urbem incolebant, fortunæ quodam nutu receptos panes obsidentibus, eodem usi dolo, remiserant, ita ut civitas brevi expugnata fuerit. Non equidem perfecta similitudo, sed haud dubie hinc et inde nescio quæ affinitas notanda. Vide Hugo Gering, *Islandische Legenden, Novellen und Märchen* (Hallæ Maritimæ, 1884), p. 46-7.

1. *Acta Sanctorum*, 12 jun., III, 59.
2. *Ibidem*, 5 jun., I, 485.
3. *Ibidem*, 12 sept., IV, 37.
4. *Ibidem*, 8 mart., I, 795.
5. *Ibidem*, 9 apr., I, 839.
6. Vita S. Ulrici, circa 1150 (*Acta Sanct.*, 20 feb., III, 233); B. Luftildis, ante sec. XIII (*Acta S.*, jan., III, 752); B. Pharaildis, ante sec, XIII (*Acta S.*, 4 jan., I, 173); S. Rosæ, sec. XIII (*Acta S.*, 4 sept., II, 434, 440); B. Tarasiæ, sec. XIII (*Acta S.*, 3 sept., I, 786); S. Nicolai, sec. XIV (*Acta S.*, 10 sept., III, 642); S. Johannis Eboracensis, sec. XIV (*Acta S.*, oct., V, 138-9); B. Margaritæ Fontanæ, sec. XVI (*Acta S.*, 13 sept., IV, 137).

Girardum, quem annalium scriptores Hospitalis magistrorum seriei præponunt, Hierosolymæ in ipso Hospitali ante Crucigerorum adventum fuisse; — deinde Crucigeros fame laboravisse[1]; — denique Girardum, quum consentiret cum obsidentibus, se apud sultanum purgavisse.

Cetera vero fabulosa sunt. Facile tamen concipitur quo modo christiani, tot tantisque calamitatibus toleratis, novitate rerum perculsi et gratias Girardo agentes, illud miraculi finxerint, quod deinde Hospitalarii, inter ea quæ ipsi fingebant ultro, exceperunt.

2° Quæ ad historiam spectant. — Multas res a plerisque scriptoribus confirmatas nobis suppeditat Legenda, scilicet :

1° Quæ Crucigeri itinera secuti sint;

2° Quomodo in exercendo magisterio sese Girardus et Raimundus de Podio gesserint, et Regulam ordinis sanciendam Sedes Apostolica curaverit.

Quæ quum ita sint, publicæ conscriptionis peragendæ consilium iniisse Hospitalarii videntur.

6° *Quibusnam manuscriptis contineantur Legenda.*

Miraculorum textus, Statutis ordinis præpositus, ex tredecim codicibus manuscriptis constat, quorum, inter Statutorum et Esgardiorum commemorationem, seriem enumeravimus[2]; gallico, italico, provinciali, catalanoque idiomate edita sunt. Quorum variæ sunt familiæ et conscriptiones, ut superius notavimus, quæ sic distribui posse videntur.

Iª Redactio : P^1.

IIª Redactio : P^3, A (catalana).

IIIª Redactio : P^1, P^2, P^4, P^5, P^6, D, T (provincialis), T^1 (provincialis), M, V (italica), R (gallica, Rhodi scripta).

Notandum est manuscripta et Taurinense (T) et Tolo-

1. Ex Guill. Tyrensis verbis (VIII, 7) intelligi potest christianos sitim in itinere, famem autem apud Antiochiam perpessos fuisse.
2. Vide superius, p. 38-9.

sanum (T^1), utraque tertiæ familiæ adscripta, cum secunda quoque congruere. Mss P^1 ab aliis quoque differt, non tamen ut omnino a tertia familia sejungatur. In codice Vaticano (R) addita sunt quædam nusquam alibi reperta.

Horum Miraculorum textum ita explanavimus ut conscriptiones prima et secunda alia alii apponerentur, annotatis insuper et signo litterarum italicarum distinctis quæ tertia præcedentibus addit. Quum ad nos prima conscriptio non nisi gallico manuscripto pervenerit, secundæ et tertiæ gallicum textum tantum, omissis provinciali, catalano italicoque, ut ad philologos magis quam ad nos proficientibus, retulimus [1].

Denique de quadam Miraculorum in linguam latinam translatione, ad tertiæ Statutorum conscriptionis exemplar expressa, facienda est mentio. Eam *Monasticon anglicanum* et D. Migne (*Patrol. Lat.* CLV, 1100-1102) juxta manuscriptum penes Gilbertum North anno 1652, ediderunt; quæ, empta a domino Guilford, Gilberti North hærede, nunc in bibliotheca domini Thomas Philipps, in urbe Cheltenham, sub n° 5807 asservatur [2].

Textum codicis Taurinensis (T), qui nulli conscriptioni adscribi potest, in Appendice, ad calcem textus Legendæ, reperies.

II. — DISSERTATIO CRITICA [3] (EXORDIUM).

Habemus in promptu magni, nostra quidem sententia, ponderis documentum, quamvis eo nemo adhuc ad Hospitalariorum discutiendam originem usus fuerit, critici cujusdam Dissertationem, quæ, quum Legendam subsequatur, cum ea

1. Secunda et tertia conscriptiones ab Belhomme in provinciali idiomate editæ fuerunt [*Société arch. du Midi de la France*, IV, 353-74 (1841)].
2. Codex latinus, membraneus, 84 ff., sec. XV, cui titulus : *Stabilimenta militiæ Hierosolymitanæ*).
3. Hoc vocabulo usi sumus quia in plurimis manuscriptis disser de Exordio Hospitalis hoc vocabulo designatur.

sæpius confusa fuerit. Cujus quum nonnulli partem, chartam scilicet Godefridi de Bullione [1], ediderint, nulli fere quanti pretii summa esset intellexere. Quare illi Exordio incumbamus oportet.

1° *Quidnam sit Exordium.*

Exordium nihil est aliud quam expensum quod, dum in origine Hospitalis perspicienda fabulosa ad vera et dubia ad certa reducere conatur, ex ipso ordine scriptor excogitavit.

Qui, quum XIII[i] seculi novissimis annis exstiterit, interdum erravit profecto, ut qui rudis adhuc indagandæ veritatis esset, sed plerumque ratiocinationes alias cum aliis adeo dialectice vinxit, ut quæ XVII° et XVIII° seculis inventa sunt, callide præsenserit.

2° *Quibusnam manuscriptis contineatur.*

Quinque autem in manuscriptis asservatum pervenit ad nos Exordium, nempe :

(R)	Vaticano	3136
(T)	Taurinensi	LV, 45
(V)	Vindobonensi	3323
(P^1)	Parisiensi Bibl. Nat. gall.	6049
(P^2)	Parisiensi Bibl. Nat. gall.	1978 [2]

Excepto P^1, in quo medium locum absentibus Miraculis obtinet, Miraculis semper posthabetur. In P^2 ad finem curtum quidem et truncum legitur Exordium. Cui fides adhibenda potissimum ? Sepositis et codice Vindobonensi (V) qui, XV° seculo tantum editus, multis additamentis oneratur ; et Vaticano (R) (anno 1357) in quo, cum Taurinensi Parisiensique (P^1) collato, nonnulla adjecta deprehendas ; et Taurinensi (T) (anno 1342) qui cum Parisiensi (P^1), excepto quod Exordium ad scribæ arbitrium amputatum est, congruit ; omissoque alio codice, gallice (P^2) scripto, qui nisi pars

1. De auctoritate hujusce documenti paulo post absolvemus.
2. Iis addendus Divionensis codex (D), qui cum Godefridi de Bullione privilegio pauca quædam, ex Exordio detracta, complectitur.

periisset, multum nobis proficeret[1] ut qui ad usum Danielis de S. Stephano, Guillelmi de S. Stephano nepote, anno 1315 redactus, ab eodem fonte ac codex Parisiensis (P[1]) oriatur, — Parisiensi (n° 6049 anno 1302), multum ab aliis dissimili, utendum est. Codex enim iste, ceteris antiquior, ceteros quoque, si ad tractatas res respicias, præcellit, quippe qui non consuetam tantum Statutorum manuscriptis (ut superius dictum est) materiam, sed propriam quamdam auctori partem complectatur, et autographus esse videatur.

3° *Quis sit auctor Exordii.*

Auctoris nomen, ut non proditur, sic non ignoratur. Scimus enim primum documentis et monumentis certis ad adhibendam Statutis auctoritatem in fine seculi XIII[1] Guillelmum de S. Stephano usum esse, quum esset Hospitalis eques[2]: eumdem, Cypri commendatorem factum, priore manuscripto haud multis annis posteriorem, ampliorem vero, ut qui et de iisdem curet et insuper proprias auctoris sententias enuntiet, codicem fecisse. Inde colligi potest ab illo Exordium, si non excogitatum, digestum certe fuisse. — Adde quod codex manuscriptus, anno 1315 editus, qui istius Dissertationis partem servat, ad usum Danielis de S. Stephano, locum tenentis visitatoris generalis in Lombardia, compositus erat: qui Exordium, ceteris temporibus male notum (si quidem ex XXIII Statutorum anterioribus Petro d'Aubusson manuscriptis, apud quinque tantum invenitur) ut qui cognatus atque nepos etiam Guillelmi de S. Stephano esset, haud dubie novit. — Inde, obliquum secuti iter, quæ de Exordii auctore diximus, corroboravimus.

4° *Quid sit compositi Exordii tempus.*

De hoc quamvis nihil certum, ad verum adeo accedere

1. P[2] ab eodem fonte ac P[1] (quo usi sumus) oritur.
2. In codice Vaticano R[1]. Vide superius, p. 39.

ut id fere attingamus, licet. Ante annum enim 1302, quo conscriptus est codex P[1], exaratum opus constat. Animadvertentibus autem nobis post captam a Sarracenis Ptolemaidem (1291) Hospitalis fratres colligendorum Statutorum, ut sua sibi ulterius (quum recuperandæ Palæstinæ spes omnium animis vigeret) legitimis nixi documentis vindicare possent, curam suscepisse. — Minime dubium videtur eo tempore, ultimis scilicet XIII[i] seculi annis, scriptam fuisse Guillelmi de S. Stephano disputationem.

5° *Quibusnam constet Exordium.*

Agitur primum de vexationibus a peregrinantibus perpessis; quibus quum commoverentur Italici mercatores, a calypha oratorii et domus sedem sibi ad tuendos suos cives petierunt; quod ille, metuens ne mutuis cum Occidentalibus mercaturis in posterum fraudaretur, libenter concessit. Itaque postea ad meridiem S. Sepulcri, interjecta tantum via Regia, ædificaverunt Ecclesiam, cui B. Virginis titulus inscriptus est, et domum Hospitalem, cui monachos nigros — quamdiu permanserint incertum — ex Italia arcessitos præmiserunt.

Deinde auctor negat ordinem originem suam a Melchiore ducere, plurimaque dona Hospitali largita, Godefridi charta ac majorum natu fratrum recordatione apud Margatum innixus, commemorat.

Citata quoque integra Godefridi de Bullione prærogativa, — de cujus auctoritate disserendum habemus, — duo inde colligit : tum Hospitale a Godefrido multis donatum fuisse, tum ordini S. Johannem Baptistam — cujus loco Eleemosynarium non jure, sed nominum confusione quadam favente, suppositum esse ostendit, — patronum vindicandum esse.

6° *Quanti sit ponderis narratio.*

Id in universum primum, deinde singillatim patefaciemus.

1° Narratio ad summum anno 1302 scripta, aut, quod

etiam malim, ordinata est ab auctore qui, quum unus ex Hospitalariis esset, tot monumentorum ad enucleandam veritatem facultatem habuit, ut hoc unum ne nimio suorum amore fuerit corruptus, possit esse periculum.

2° Quid vero ? Quum ex antea dictis, duplicem ejus redactionem acutissimi judicii nota signatam esse compertum habeamus, nonne conspicuum ingenii acumen ?

3° Demonstrant idem operis et partes, optime inter se constantes, ac summa cum ratione accommodatissima.

4° Ceterum id ipsum quod Legendæ repugnat, Miraculis fidem commendat.

5° Denique animadverte Hospitalarios sese a Girardo, ut qui strenuus armis fuisset, pendere gloriatos esse, quibus quum noster, quamvis inter illos principem locum obtineret, eamdem ac Benedictinis originem indicere ausus fuerit, quis neget altius inde ejus evehi auctoritatem ?

Nunc, ut operis partes cum vero consentaneas esse appareat, singulas perlustremus.

1. — Quod ad locum mercatoribus a calypha concessum spectat, nonnulli, inter quos non solum Guillelmus Tyrensis, quem consulto seponimus, sed etiam Amatus et Sanutus, e quibus excerpta jam antea protulimus, rei assentiunt, neque insuper nos fugit Amalphitanam civitatem tunc temporis opibus abundasse, et negotiationem ad Orientis partes præsertim dilatavisse; nulli ergo admirandum est hujus modi incepto et Amalphitanos mercatores studuisse, et calypham favisse[1].


2. — Quod ad delineatam ecclesiæ atque hospitii sedem, Hospitalis Sancti Johannis ruinæ et Sanctæ Mariæ Latinæ Ecclesiæ reliquia veterem illam descriptionem accuratissime factam esse testantur.

Quomodo situm fuerit Hospitale scimus. Circumscribebatur enim ad septentrionem platea quæ ante S. Sepulcri ecclesiæ portas erat, et via Palmariorum[2]; ad occasum Pa-

1. V. Heyd, *Geschichte des Levantehandels*, I, passim.
2. Hoc nomine designabantur palmarum venditores, quas peregri-

triarchæ via; ad orientem et meridiem angiportu qui, a Palmariorum via ante Sanctum Sepulcrum profectus, ad meridiem inter Hospitale et S. Mariæ conventum tendebat, deinde, ad occasum vergens, præter Hospitalis ædificia sub nomine viæ Davidis ad Patriarchæ viam pergebat.

Sanctæ Mariæ Latinæ ecclesiam quæ, quum Hierusalem, soluto tributo, ingressi sunt Crucigeri, servata est, multi conspexerunt ; ad meridiem ecclesiæ Inventionis S. Crucis, juxta S. Sepulcrum erat.



A qua discernendæ sunt S. Maria Major, quæ inter Hospitale S. Johannis viasque S. Stephani et Palmariorum stabat, et S. Maria Minor, quam, ad usum Hospitalariarum mulierum dicatam, anno circiter 1130 Suewulfus adspexit.

Quæ omnia cum Exordio concordant.

nantes quique, in patriam redituri, velut peracti itineris signum emebant. (Vide Ernoul, l'*Etat de la cité de Hierusalem* apud *Itinéraires franç.*, p. 34).

3. — Quod ad Benedictorum in Terram Sanctam ante Bella Sacra adventum, non magis auctorem Exordii mentitum fuisse deprehendemus. Nam ut Guillelmum Tyrensem, cui quum, ut antea dictum est, quædam objici possint, nonnulli credere dubitant, a præsenti judicio testem removeamus, sunt alii quorum ope utemur, ut Benedictinos revera Hierusalem, nondum inceptis Bellis Sacris, venisse planum fecerimus.

Quod prius quam aggredimur, evertenda sunt omnia quæcumque ad negandum illum Benedictorum adventum P.-A. Paoli in via congesserit.

I) Primum, Benedictorum quorumdam, scilicet Rocci Pirri, Mabillonis, Ruinartii, et Acherii, opinioni innititur, qui Benedictinos tum primum in S. Mariæ de Josaphat atque in S. Mariæ Latinæ apud Hierusalem ecclesiis, quum regio a christianis domita est, consedisse confidunt. Sit gravis illorum sententia, sit etiam eo gravior quo proniores ad longius producendam ordinis sui originem essent, concedo : quid inde sequitur, quum pro iis scripturæ non pugnent?

II) Quæ Benedictinos Hierosolymis eo tempore fuisse significant, ponderibus suis examinat P.-A. Paoli, ingeniique acumine penitus perspicit Amalphitanos multa anno 1048 sive 1084 condidisse, et Terram Sanctam adeuntium prohibitas aliquandiu IX° seculo, iterum initas fuisse peregrinationes, latinaque sacraria ibidem ante Crucis prædicationem exstitisse fatetur; sed, quod attinet ad XI[i] seculi finem, integram superesse quæstionem asserit, quod, ob mala et vexationes quibus, XI° seculo desinente, oppressi fuerint christiani, quæcumque Latini fundavissent in vanum tum abierint.

Ea quidem, tacentibus priscis Historiarum scriptoribus, Paoli fingit ac conjicit; sed quantiscumque vinculis isti cum Benedictinis alligati fuerint, quantacumque auctoritate valeant, nonne e mero eorum silentio aut nulla aut imbecilla nascuntur argumenta?

III) Refert deinde Crucigeris Hierusalem ingredientibus

Syrios et Armenios, sponte duces factos, reliquias detexisse : quam curam Benedictini, si in urbe fuissent, sibi vindicavissent; additque tum Petrum Ermitam anno 1095, tum comitem Robertum Flandrensem, paucis ante annis, urbem invisentes, privati cujusdam christiani domum devertisse; qui, si adfuissent Benedictini, nonne apud eos devertissent?

Superiori simile est istud argumentum; nam ex eo quod unus non alterum adierit, quo jure neminem fuisse alterum contendis? Quid, si Petrum Eremitam, anno 1095, non Solymas esse intratum constiterit? — Constat : recentiores antiquitatis investigatores Petrum non iter ad urbem perfecisse affirmant[1].

Apparet ergo Paoli, negando magis quam probando, argumentatum esse. Sed fac vera ab eo dicta fuisse, et S. Benedicti monachos eo tempore quo comes advenit, pestibus simul atque ab hostibus circumventos, aliquandiu Hospitale deseruisse atque Hierusalem excessisse. Quid ad rem? Num inde conficiendum est Hospitale non ante Bella Sacra exstitisse, nec ab Amalphitanorum institutis initium cepisse?

Revicta Paoli opinione, nostram, Benedictinos scilicet Hierusalem ante Bella Sacra fuisse, nunc explanaturi sumus.

Quam tres sunt rationes quæ commendent et verisimilem faciant :

I) Prima inde nascitur quod jam a IX° seculo Benedictini Hierusalem sederant;

II) Secunda ex hoc quod, X° et XI° seculis, vicina Amalphiæ regio Benedictinis monasteriis redundabat. Ut de Monte Cassino aut Cavea taceamus, sit satis commemoravisse et Scalam, et Tavernatam, et montem Cerbellianum, et Pigellulam (*Pogerola*), et Minorum (*Minori*), et Ravellum (*Ravello*[2]).

Crescit etiam fides si Hospitale originem ab Amalphi-

1. Riant, *Invent. des Lettres hist. des Croisades*, p. 94. — H. Hagenmeyer, *Peter der Eremite* (Lipsiæ, 1879, p. 59-61 et 314-30).
2. M. Camera, *Memorie di Amalfi*, I, 149-52.

tanis, quod mox procul dubio erit, duxisse admittimus. Quis est qui miretur monachos illius ordinis a civibus suis, ad administrandum hospitium ultra mare conditum, electos fuisse?

Quo ex monasterio deducti fuerint, ambigitur : pro monte Cassino stat vilissimus quidem auctor, Sylvester Maurolycus[1] ; pro monasterio Cavensi auctor quidem recentissimus qui, quamvis conjiciat plura quam demonstret, vero propior, si quis Caveam multis cum Amalphitanis necessitudinibus sociatam fuisse reputet, esse videtur[2].

III) Tertia est validissima ; accipe unde oriatur. Veterrima quædam fratris Girardi, qui primus Hospitali præfuit, S. Benedicti vestitu induti, imago Amalphiæ erat : quod eo etiam majorem vim adipiscitur, quo recentius fuerit artificis opus. Nam si primo ingenii mentisque impetui cessisset, ad similitudinem Hospitalariorum, suo tempore viventium et ipsos a Benedictinis oriundos esse negantium, habitum illum expressisset. Quum vero Benedictinam vestem depinxerit, usum antiquitate sacrum, moremque hominum memoria asservatum vel invitus secutus est profecto[3].

Quare, quanquam non certa est, nos tamen trahit quæ Benedictinis favet sententia, nedum Paoli dictis assentiamur.

4. — Quod ad originem a Melchiore repetendam, auctor, ut cujus argumentatio omnino cum ratione consentanea sit, crimen levitatis effugit.

5. — Quod ad munera, item : quippe quæ, ex iis quæ tradita hominum mente, aut in Godefridi de Bullione charta inscripta sunt, revera facta esse certum sit.

1. *Istoria sacra*, *intitolata Mare Oceano, di tutti le religioni del mondo* (Messinæ, 1613, in-fol.). S. Maurolycus, Messinæ, medio XVI° seculo, natus, historiæ, litteris, mathematicisque studiis tantum incubuerat ut a Philippo II, Hispaniæ rege, Bibliothecæ Scorialensi adscriptus, manuscripta græca et orientalia per omnem Europam indagare jussus fuerit. In Siciliam redux, regimen abbatiæ de Rocca Amatoris suscepit.

2. P. Guillaume, *Le Navi Cavensi nel Mediterraneo, durante il medio Evo* (Caveæ, 1876, in-8°).

3. M. Camera, *Annali* II, p. XLVII-XLVIII. Vide Documentum XIX.

6. — Quod ad G. de Bullione privilegium, eo quasi fundamento, ut ita dicam, non solum de donis sed de ceteris omnibus innititur disquisitio.

Utinam vero charta in qua illud inscribitur falsa non sit! Quam si penitus perspexerimus, mendosam agnoverimus esse. Salva quidem maneat auctoris fides : qui, quum ipsi Godefrido de Bullione chartam fere integro seculo recentiorem attribuit, imprudentia nec fraude erravit.

Ne erravisse quidem ait Bosio[1] ; errat et ipse. Redactiones enim alias cum aliis confer : temporum notas corruptas fuisse, indiciaque inter se dissentire fateberis, nempe indictio I ad annum 1183, epacta 6 ad annum 1184 spectant. Habemus ergo chartam, anno 1183 aut 1184 exaratam. De qua quum esset pronuntiandum, omnes cunctati sunt; nobis quoque esset unde diu multumque penderemus, nisi nodum, fortuna favente, expedire contigisset : invenimus scilicet chartam qua Godefridus, tertius Brabantiæ aut Lotharingiæ dux, quum Solymis anno 1183 versaretur, Hierosolymitanum Hospitale ædibus Hospitii, a se Bruxellis in allodio de Frigido Monte (*Caudenberg*) conditi, donavit[2].

Quidquid id est, eam chartam, cum omnibus temporum notis etiam inter se discrepantibus, bona et sincera fide noster edidit. Difficilius equidem Bosio crediderim qui[3], quamvis omnibus in manuscriptis temporum indicia pugnent inter se, chartam eamdem, sublata omni temporum contradictione, protulit.

7. — Quod ad Johannem Baptistam patronum ordini præponendum, hoc quoque Godefridi privilegio fulcitur; quod falsum esse, inconcussa quidem ejus fide, confirmavimus.

Videntur enim Hospitalarii ad id vehementissime incubuisse ut Baptistæ, nec Eleemosynario sese subjungerent.

1. Bosio, *Dell' istoria della S. Rel. et ill. militia di S. Gio. Gierosol.* (3ª impr., Venetiæ, 1695) I, 18.
2. Reperietur in Appendice, dissertationi submissa charta latina de qua hic agitur.
3. Bosio, *Dell' istoria*, I, 18.

Quippe, ineunte XIV° seculo, jam longum tempus exactum erat, ex quo primum id honoris Eleemosynario tributum erat. Huic opinioni prælusit primus Guillelmus, Tyri archiepiscopus[1] : « Erexerunt etiam in eodem loco altare in honorem Beati Johannis Eleymon... » Hujus metropolitæ « auctoritate confisus, Jacobus, cardinalis de Vitriaco, ita plane dixit[2], post hunc Johannes Yprensis[3]. Quam famam quum, magis ac magis per homines grassatam, Hospitalarii nihil antiquius haberent quam ut restinguerent, refellere Exordii auctor conatus est.

Ut simplex, sic potens illius est ratiocinatio. Godefridi de Bullione chartam, in qua de quibusdam Hospitali Sancti Johannis Baptistæ donatis agitur, depromit. Johannem insuper Eleemosynarium omnia quæcumque illi erant, pauperibus ita largiri solitum esse, ut apud Hierosolymitanos summa reverentia coleretur, ideoque facillime ordinis ad opitulandos pauperes instituti patrocinium a fidelibus accepisse animadvertit.

Graviora erant ista argumenta quam ut multa adjici possent : sunt tamen quæ licet recognoscamus :

1. — Primum advertit Paoli[4] monachorum ordines, ut quorum multum integros ritus intactosque usus per omne ævum habere intersit, ne ab uno patrono ad alterum deficiant, ac præsertim ne unum cum altero confundant magnopere cavere. Itaque quem recentioribus temporibus, eumdem et prioribus patronum Hospitalarios coluisse verisimile est.

2. — Deinde Guillelmum Tyrensem, cui omnes postea temere confisi sunt, quod odiis sit infensus Hospitalariis, suspicit.

3. — Ceterum Hospitalarios, quum Latinam liturgiam

1. L. XVIII, c. V. Vide supra, p. 21.
2. *Historia Hierosolymitana*, cap. LXIV. Vide supra, p. 27.
3. Vide supra, p. 33. Vide quoque P. M. Paciaudii *de Cultu Sancti Johannis Baptistæ antiquitates christianas,* Romæ 1755, dissert. VII, p. 274-5.
4. *Dell' origine ed istituto*, p. 45.

sequerentur, Baptistæ, uni e Latinis sanctis, libentius quam Eleemosynario, e Græcis uni, fovisse Paciaudius[1] existimat.

Sed nihil firmius esse potest quam si quis chartam, cui Baptistæ nomen inscribatur, in medium producat. Quare ceteri historiarum scriptores, quia non satis in Exordio, in quo nos, commorati fuerant, undique hujusmodi diplomata, anno 1099 cui ordinis initium adscribunt quam proxima, eruere in lucem conati sunt; inter quæ bullam, a Paschali IIº anno 1113 factam, multaque XIIº seculo scripta memorant[2].

Paoli quoque[3], dum tempora strictissime definire tentat, ex confirmatis donationibus dona anno 1100 aut 1101 oblata recognoscit, chartasque et quibus illa darentur et quibus data confirmarentur ad eumdem Sanctum spectavisse explanat.

Ex his igitur quæ sigillatim exposuerimus, apparet quanta sit auctoritate fr. Guillelmi de S. Stephano Disquisitio, et quantopere nos, Hospitalis initia jamjam narraturos, adjutura sit.

III. — PROŒMIUM STATUTORUM.

Quum, Petro d'Aubusson magistro, decretum est ut Statuta non jam pro temporibus sed pro rebus ordinarentur, idoneum id visum est ad retractandum Miraculorum textum, quæ, Proœmii more, Statutis adjacere solebant. Statuta recolligere jussus, Miracula quoque novo ritu composuit Guillelmus Caoursinus, Rhodiorum vicecancellarius et secretarius.

Hic, sive, desinente XVº seculo, mentes hominum immutarentur, et ipse minus ad credendum inclinaret quam ut tot et tanta Miracula acciperet, sive ingenii sui natura vera libentius quam mira indagaret, quiquid id est, nihil fere earum rerum quæ in prioribus conscriptionibus erant superesse voluit.

1. *De Cultu S. Joh. Bapt.*, diss. VII.
2. *Ibidem.*
3. *Dell' origine ed istituto*, p. 46-7.

Conspexerat in primis Zachariæ miraculum, in quo de Machabæis Davidicoque sepulcro agebatur. Inde profectus est ut emendaret quidquid ad Judam Machabæum aut ad Hircanum pontificem, aut ad Salomonis templum, a Machabæis iterum ædificatum, pertinebat.

Ab ipsis Machabæis ordinem deduxit, et quas vices aut Xenodochium, in illis temporibus Solymis conditum, aut Templum usque ad imperatoris Hadriani ætatem subiissent, narravit. Ea mera est Historia Sacra. Addidit Christum, quum in terra ageret, sæpius Hospitale invisisse; posteaque christianos sævissimis supplicis esse excruciatos, omniaque quæcumque christianorum erant de medio sublata esse. Tum, inquit ille, Girardus, postquam ad Sancta Loca peregrinatus erat, hospitium ad Judæ Hircanique exemplum exstruxit. Quod quando factum fuerit, nondumne incepto Bello Sacro, an peracto, non ab eo declaratur. Denique paucis de Raimundo de Podio, Girardi successore, aut de confirmatione a Lucio IIº Eugenioque IIIº pontificibus indulta adjectis, subsistit narratio.

Cujus si summam exprimere tentamus, duo tantum hæc asseruntur : primum Hospitale, a Machabæis conditum, ad Hadriani tempus perstitisse; secundum, Girardum eversa ad XII^m seculum instauravisse. Ea, quanquam non magni sunt ponderis, tamen exponere operæ pretium fuit, ut qua ratione Miracula sensim et paulatim ad vera redacta fuerint clarius appareret.

Textus in Appendice jacet, latine expressus. In omnes autem linguas e decreto Capituli generalis, anno 1493 promulgato, translatus est[1].

1. Reperies versionem latinam in codicibus Bibl. Eq. Th. Philipps apud Middlehill, nis 1773 et 5807; — versionem gallicam, in codicibus Bibl. Parisiensis gallicis nis 5645, 13532 et 23133; Bibl. Arelatensis nº 107, et Archivii Tolosani, nº 2 chartulariorum S. Johannis; — versionem italicam in codicibus Bibl. Braidensis (Mediolani) AF, x, 10, et Palatii Lambethiani Londinensis nº 177; — versionem hispanicam in codicibus Bibl. nationalis Matritensis D. 83, et Musei Britannici, in addit. manuscr. 22554. Quamvis ex decreto Capituli generalis constet Statuta octo linguis translata fuisse, nulla manuscripta anglico aut germanico sermone invenimus.

III.

TESTIMONIA SPECIALIA
E STATUTIS HOSPITALIS EXCERPTA.

Nec sunt prætermittenda quæ educi possunt e carminibus per christianas gentes vulgatis, in quibus clarissima quæque Crucigerorum gesta enarrantur. Quod genus operis per Medium Ævum fuit uberrimum. Quæ de Carolo Magno, bellum Sarracenis trans montes inferente, memorabantur, quum jam in eo essent ut ævo senescerent, accedentibus iis quæ trans mare gesta sunt, iterum effloruere. Unde nata sunt plurima carmina ad Terram Sanctam spectantia, in quibus conflandis nonnulla e chronicis assumpta erant. Quod sua quoque Hospitali fuit laus apud poetas, testantur hi versus :

« Or commenche canchon, jà meillor n'en orrès,
« Comment Acre fut prise et les autres chités,
« Et Sur et Tabarie où Turc avoient més,
« Ensi com des barons fu li Temple peuplés
« *Et l'Ospitaus assis,* où Jhesu fu sacrés[1]. »

Ii significant e communi stirpe ramum quemdam ad institutionem Templi Hospitalisque pertinentem crevisse. Qui

1. Vide Leroux de Lincy, *Analyse du Roman de Godefroi de Bouillon* (Bibl. de l'Ec. des Ch., II, p. 459-60) ex codice. Bibl. nat. Paris. gallico 12569, f. 215 *b*). Recensionem haud dissimilem reperies in mss. ejusdem bibliothecæ gallico 12558, f. 192 *b*. (Cf. H. Pigeonneau, *Le cycle de la croisade* (1877), p. 11, atque P. Meyer, *Romania,* ad annum 1876 (mense januario).

sperandi locus erat fore ut erueretur, rami alius, truncati quidem, instar, qui ad Accon et Ascalonem pertinebat[1]. Irritus vero labor noster periit. Nobis enim perlegentibus manuscriptos codices nondum explanatos, inter quos præcipue Taurinensem[2], qui carmina quibus *Chansons d'Antioche et de Jérusalem* inscribitur titulus continent, unus tantum ramus inventus qui ad Templum spectat; qui ad Hospitale, etiam nunc latet.

Quem si quis, nobis felicior, detexerit, valde gratulandum erit illi. Tum enim, recisis quæcumque ornandi gratia poetæ adjecerint, nonnulla certa, et narraturis Hospitalis originem accommodatissima, suppeditabuntur. Ea est causa cur testimonia illa popularia notanda esse senserimus.

1. Ed. Reiffenberg, *Godefroid de Bouillon* (*Le chevalier au Cygne*, Bruxellis, 1854, ad calcem vol. III[ii]).
2. Codex Athenæi Taurinensis, LIII, 25.

PARS POSTERIOR.

HISTORIA ORIGINIS

HOSPITALARIORUM.

PARS II.

HISTORIA ORIGINIS.

Quæ in Terra Sancta gesta ante Bella Sacra fuerint, densissimis tenebris involuta, in lucem proferenda nemo satis curavit.

Vix ab urbe Hierusalem a Persis (614) capta ad eamdem a Turcis occupatam (1086), unam et alteram ad bellum aut rapinas et ruinas pertinentem rem commemorant. Unde temere quidam, ut opinamur, peregrinantes ad S. Sepulcrum christianos ab incolis expilatos vexatosque atque excruciatos fuisse arbitrantur.

Ut enim fanaticum Sarracenorum furorem interdum sæviisse fatendum est, sic tempora pacata fuisse quædam, et peregrinantibus commeatus liberos patuisse, Romamque cum Hierusalem, mediis intervenientibus peregrinantibus, mutua ac perpetua societate junctam esse, et summos pontifices Hierosolymitanis patriarchis quum in spiritualibus, tum in terrestribus favisse; christianos quoque viatoribus perfugia et templa paravisse unde corpori et menti solatium subministraretur, Carolumque Magnum ejusque successores suæ tutelæ Terram Sanctam duxisse constat.

Ergo ante Bella Sacra quibus et quantis cum Orientalibus Occidentales commerciis et consuetudinibus communicaverint breviter anquirendo, commorabimur in iis quæ de hospitiis condendis inveniri possunt, ut inde primas Hospitalis origines, discussis nubibus, explicemus.

I. — PRIMA HOSPITIA LATINA IN TERRA SANCTA.

A prioribus humanæ salutis temporibus locorum sanctorum mos fuit invisendorum. Nequidquam Hadrianus, anno 199, statuas Jovi et Veneri in urbe Hierusalem erexit; non modo non pauciores eodem tetenderunt, sed, ex quo in ipsa Veneris templi sede ecclesiam Sancti Sepulcri Constantinus ædificavit [1], crevit in dies et numerus et impetus [2].

Enimvero exstiterunt ad tertium aut quartum seculum octo peregrinationes, intra quartum quinque, intra sextum octo [3]; ex iisdem temporibus septem locorum itinerumve descriptiones, quarum antiquissima, anno 333 edita, ab urbe Burdigala deducitur ad urbem Hierusalem, etiam nunc supersunt [4].

In iis autem de viris qui, quum natalium aut virtutis aut dignitatum commendatione principem obtinerent locum, scriptorum oculis et menti observabantur, agitur tantum: quid vero de turba sine nomine? Nonne multos, quorum nulla memoria superfuit, confluxisse Hierusalem merito crediderimus?

Quæ quum ita sint, quid mirum si peregrinantibus parata fuerint perfugia, in quibus et quæ ad solandos atque exsatiandos animos, et quæ ad reficiendum aut sanandum corpus necessaria sunt, nanciscerentur? Ejusmodi certe consilio S. Gregorius Magnus, desinente VI seculo, Probum abbatem qui quum Hierusalem [5] tum in monte Sinaï [6] hospitia erigeret, et miseros opibus sublevaret, sponte sua misit.

Incepta opera, capta paucos post annos a Persis Hieru-

1. T. Tobler et A. Molinier, *Itinera Hierosolymitana*, etc., 1880, Genevæ, passim.
2. Lalanne, *Des Pèlerinages en Terre Sainte avant les Croisades* (1845, in-8°), p. 1.
3. Lalanne, *ibidem*, p. 23-5.
4. T. Tobler et A. Molinier, *loco citato*, passim.
5. Vide in Appendice Documentum I.
6. Vide Documentum II.

salem (614), templisque et sanctorum reliquiis violatis, periisse aut valde laboravisse ex historicorum testimoniis æstimandum est. Sed victo tamdem post continuatas per decem annos victorias Chosroe, Heraclius imperator, in urbem victor ingressus, christianorum cultum in pristinam sedem ac dignitatem redintegravit[1]. Nec longa felicitas; nam quum jam respirarent a metu atque a commotionibus acquiescerent, ingruerunt Sarraceni, Hierosolymamque, anno 636, ceperunt.

II. — IMPERATORIS CAROLI MAGNI PATROCINIUM.

Sed ne majora vero fingamus, intermiserunt nonnunquam injuriæ sævitiæque et insectationes. Regnantibus calyphis ex domibus Ommiah et Abbas, non secura quidem, sed tolerabilis christianis vitæ conditio facta est, et, auctore Aroun-al-Raschid (786-809) sperandi fuit locus. Nam cessantibus odiis, junctum est inter christianos reges et calyphas legationum commercium; missi enim ad eum a Pippino legati, Sarracenos legatos secum reduxerunt : quos Pippinus benigne magnificeque excepit[2]. Carolus quoque eadem via sic perrexit ut, missis anno 797 atque iterum anno 799, in Terram Sanctam, legatis, magna atque utilia adeptus fuerit : quippe cui calypha Aroun-al-Raschid ut ejus potestati adscriberentur Loci Sancti concesserit.

Quæ res, magni quidem momenti, non ita facilis fuerat. Priores legati, Lantfridus scilicet, Sigismundus et Isaac, qui anno 797 Palæstinam inviserunt, ad quid tetenderint incertum : non ad patrocinium adipiscendum studuisse videntur[3]; elephanto aliisque muneribus donatos propriisque legatis comitibus remisit calypha.[4] Quod quum cerneret Hierosolymitanus patriarcha opportunumque tempus fore

1. Guillelmus Tyrensis, l. I.
2. Vide Documentum III.
3. Vide Documentum IV.
4. Vide Documentum V.

ratus, ad Carolum diaconum allegavit qui, oblatis veræ crucis reliquiis, patrocinium rogaret[1].

Rursus Hierusalem Carolus (799) presbyterum e suo palatio, Zachariam nomine, cum patriarchæ legato remisit[2]. Res, ut documentis infra jacentibus apparet, bene cessit[3], et Zacharias, duobus monachis comitantibus, uno de monte Olearum, altero de monasterio S. Sabæ, qui ad Carolum Sancti Sepulcri et Calvariæ claves et vexillum, patrocinii signum, deferret, in Galliam rediit[4]. Quod munus utrum ob utilitatem concedentis, an ob majestatem atque auctoritatem optantis condonatum fuerit, lis est sub judice; quam late vero patuerit, a Comite Riant[5] didicimus: qui patrocinium illud tutelæ qua per novissimum seculum Terram Sanctam Francorum reges tutati sunt, simillimum fuisse contendit. Quotiescumque enim de christianis aut ab Occidente oriundis et libera conditione usis, aut sultano subditis et obnoxiis, Francorum reges tantum non imperandi protestatem habebant; judicandi et regendi, sultano summum imperium retinente, officio fungebantur. Hoc interest tamen inter IX^m et XVIII^m seculum ut illo nondum a Græca Latina ecclesia separata fuerat, hoc vero Græcus patriarcha, pacta quadam communione cum Latinis, christianis omnibus Græcis Latinisque Syriisque et Georgianis jura dabat[6].

Plures exinde legationes factas fuisse[7] et Carolum

1. Vide Documentum VI. Super reliquiis ad Carolum missis, cf. *Annales Einhardi* ad annum 799, *Einhardi Fuld. annales*, et Poetam Saxonicum, v. 555-63 (Pertz, *Monumenta Germaniæ*, I, 186, 257, 352, 562).

2. Vide Documentum VII.

3. Vide Documentum VIII.

4. Vide Documentum IX.

5. *La donation de Hugues, marquis de Toscane, au S. Sépulcre et les établissements latins de Jérusalem au Xe siècle* (Parisiis, 1884, in-4°). Hoc in opere Comes Riant testimonia, quæ in « *Inventaire des Lettres hist. des Croisades* » tractanda indicaverat, tractata adhibuit.

6. « Georgius..... patriarcha constitutus super omnes Christianos qui « sunt in Terra Repromissionis » (Bernardus Monachus, *Itinera* ad ann. 870, apud *Itinera Hier. lat.*, I, 315).

7. Vide documentum X. — Legationum seriem, ab anno 800 frequentissimarum, exponendi non est hic locus. Notandum tamen est,

arctiore in dies fœdere cum Aroun-al-Raschid sese devinxisse certi sumus, adeo ut ex capitulario, anno 810 lato, « de eleemozina mittenda in Hierusalem propter ecclesias « Dei restaurandas in proximo natali Domini »[1], modus harum pecuniarum in Orientem transvehendarum, velut ex lege, statueretur. Documento quoque sint multa ab eo ædificata, quæ per Medium Ævum « Latinie » titulo ab iis quæ condiderant Græci distincta sunt[2].

Qualia quantaque fuerint non satis liquet. Attamen, codicibus juvantibus, hospitium aut hospitale quoddam a S. Gregorio, anno 603 conditum, exstitisse novimus; ea fuit prima Hospitalitatis origo. Patebat peregrinanti cuique domus, quam contingebat S. Mariæ Ecclesia, multis in valle Josaphat prædiis donata, amplissimaque bibliotheca instructa. Ante hospitale macellum extendebatur, in quo sibi quisque locum mercatores conducebant[3].

Monachi, gente Franci, qui hospitii administrandi curam susceperunt, ex ordine benedictino — quod maximi momenti esse ostendatur — haud dubie erant: nempe eos quæs-

imperante Carolo, Rodbertum anno 803 in Orientem missum, monachosque invicem, qui *vexillum* secum attulerunt anno 800, primosque calyphæ nuntios sequenti anno in Europam pervenisse. Ex quo alios annis 803, 807 et 809 a patriarcha legatos, a calypha autem anno 807 Abdallah, qui Carolum horologio donaret, deputatos constat (Riant, *Invent. des Lettres hist.*, p. 11, n. 8 et p. 18, n. 33).

1. Canciani, *Leges Barbarorum antiquæ*, III, 209. — Cf. Lalanne, *Des Pèlerinages en Terre Sainte*, p. 7.

2. Riant, *Inv. des Lettres hist.*, p. 18, n. 34. Cf. *Chanson du voyage de Charlemagne à Jérusalem*, v, 208 (ed. Koschwitz, p. 55).

3. « De Emmaus pervenimus ad sanctam civitatem Jerusalem et « recepti sumus in hospitale gloriosissimi imperatoris Karoli, in quo « suscipiuntur omnes qui causa devotionis illum adeunt locum, lingua « loquentes Romana. Cui adjacet ecclesia in honore Sancte Marie, nobi- « lissimam habens bibliothecam, studio predicti imperatoris, cum duo- « decim mansionibus, agris, vineis, horto in valle Josaphat. Ante ipsum « Hospitale est forum, pro quo unus quisque ibi negotians in anno solvit « duos aureos illi qui illud providet » (Bernardi Monachi *Itinerarium*, apud *Itinera Hier. lat.*, p. 314). — Idem in Guillelmi Malesburiensis *Gestis Reg. Anglorum*, l. IV, c. 36 (ed. *Engl. Hist. soc.*, p. 562). — Vide etiam Documentum XI, et cf. Riant, *Inv. des Lettres hist.*, p. 18, n. 34 et Lalanne, *Des Pèlerinages en Terre Sainte*, p. 7.

tionem dogmaticam, de qua diu pependerant ad papam Leonem III, qui rem ad concilium anno 802 apud Aquisgranum habitum transmisit, detulisse, ex controversia quæ ad nos tota asservata est, exploratum habemus [1].

Narrat Bernardus Monachus [2], eo tempore quo in Terram Sanctam advenerit (circa 870), Benedictinos in urbe prope S. Sepulcrum resedisse, sive a tempore Caroli Magni sedem mutaverint, sive — quod verisimilius est — monasterio suo Montis Oliveti hospitium, intra civitatis mœnia peregrinantes excepturum, addiderint [3].

Qui primi a Carolo imperium acceperunt, patrocinio quoque illo functos esse duo demonstrant : hinc unius denarii tributum, quod, ab unoquoque manso regali exactum [4], qui proficiscebantur ad Solymas invisendas (quorum unus etiam nobis notus nomine) [5] eo transportabant; — illinc legatio quam Ludovicum Pium anno 831 adire calypha jussit [6]. Unde satis manifestum est christianos bona consuetudine cum Orientalibus ad id tempus usos esse, testantibus insuper Theodosio patriarcha, a quo litteras acceptas ad octavum ex toto orbe convocatum concilium Helias [7] transtulit, et Bernardo Monacho, cujus opus anno circiter 870 scriptum est [8].

Medio IX° seculo debiliores erant Caroli Magni successores quam ut christianis in Terra Sancta laborantibus suc-

1. De hac controversia P. Lequien in *S Johannis Damasceni operum* procemio (p. VII-VIII) disseruit.

2. Vide superius, p. 77, n. 3.

3. Vide de Vogüé, *Eglises de Terre Sainte*, p. 247-8.

4. Vide Documentum XII.

5. Vide Documentum XIII. Cf. Riant, *Invent. des Lettres hist.*, p. 13, n. 16.

6. Vide Documentum XIV.

7. « Multam benevolentiam ostendunt Saraceni in nos, licentiam « nobis præbentes ædificandi ecclesias nostras, et tenendi sine prohi- « bitione mores nostros, juste agentes et in nullo nobis injuriam vel « violentiam inferentes (*Epist. Theodosii ad Ignatium*, apud Mansi, « *Conc.* XVI, 26, cf. 314). » Hunc textum refert Riant, *Inventaire des Lettres hist.*, p. 13, n. 16.

8. *Itinerarium* Bernardi Monachi apud *Itinera Hier. lat.*, p. 309-20.

currerent. Itaque ab Occidentalibus sensim imperatoribus ad Orientales patrocinium recessit atque, ut ita dicam, migravit[1]; quæ res, postquam omnes diu fefellerat, anno 1021 publice pronunciata est, christianisque consulendi munus ab eo tempore usque ad Hierusalem a Turcis (1070-8) expugnatam imperatores Constantinopolitani retinuerunt[2].

Falleretur vero qui christianos, idcirco quod illa accidissent, sævissima perpessos esse putaret. Nullo modo interruptæ sunt peregrinationes; etiam tum dona Hierusalem, ab Anglis præcipue, largissima advehebantur[3], magnaque epistolarum aut nuntiorum inter Græcam ecclesiam et Latinam crebritas erat[4]. Nulla ergo causa erat cur instituta, de quibus agitur, x° seculo labente, perirent. Fieri potuit fortasse ut Zimisce et Phoca (annis 968 et 974-5) Terram Sanctam invadentibus Græcorumque imperio submittentibus, et Solymis ab Ægyptiis occupatis, christiani nonnullis in discriminibus versarentur; sed pax pristina prius restituta est, quam quæ Latini condiderant everterentur. Certissimi enim sumus Latinorum hospitia anno 993 adhuc exstitisse et floruisse, quum Hugo, marchio Toscanæ et uxor ejus Julitta S. Sepulcrum et B. Mariæ Latinæ monasterium plurimis bonis ditaverunt[5]. Biennio postea (993) Johanni papæ xv Orestes patriarcha legatos miserat, qui de ecclesiastica disciplina et ritibus apud pontificem agerent[6]. — Ex plurimis etiam tum optimatibus tum feminis, qui sanctorum locorum

1. Anno 947 patriarcham hierosolymitanum ab imperatore Constantinopolitano muneribus donatum constat. V. Riant, *Inv. des Lett. hist.*, p. 13, n. 16. — Sub idem tempus (anno ducis Petri Candiani iv, id est 971), Veneti « zelo catholicæ fidei *cupientes Constantinopolitanis* « *imperatoribus satisfacere* qui ad recuperandam terram sanctam « operam dare proposuerant, commercio cum Sarracenis abstinere « decreverant (A. Danduli *Chronicon* apud Muratori, *Rer. Italic. script.*, xii, 210).

2. Riant, *loc. cit.*, p. 13, n. 16.

3. Vide Documentum xv.

4. Riant, *loc. cit.*, p. 26, n. 3.

5. Vide Documentum xvi.

6. Leonis *Epist. ad reges Fr.* (Pertz, *Monumenta Germaniæ*, iii, 689).

invisendorum, sub idem tempus, votum solverunt, securum iter et tutum fuisse videtur[1].

Ineunte vero XI° seculo, ad Hakem Biamrillah libidinem (1010) omnia, una excepta Bethleem basilica, cui pepercisse victores novimus, christianorum ædificia, atque imprimis, credo, Latinorum ecclesia, deleta sunt[2].

Brevis quoque ista christianorum insectatio : reclamante enim universo christianorum gentium consensu, inita sunt colloquia, mortuoque Hakem (1021), Daher filius, magnis Constantini IX Monomachi sumptibus, cum Michaele V ad pactionem venit : qua juvante, eversa iterum ædificari ceperunt, annoque 1048, Nicephoro patriarcha præeunte, sunt perfecta[3].

III. — AMALPHITANORUM ADVENTUS.

B. Mariæ Latinæ quæ sors interea fuerit, quibus aut auctoribus aut temporibus aut sedibus iterum exsurrexerit, indagare nostra refert.

Græcos monachos citius quam Latinos in desertas sedes rediisse, atque B. Mariæ Latinæ operam aliquandiu ministravisse probabile est : narrat enim (1101) Ekkehardus « Hospitale nunquam defuisse in Jerusalem »[4]. Exstant quoque cujusdam Rutenicum pagum incolentis codicilli (1053) qui, quum Sanctum Sepulcrum divitiis augere decrevisset, Sophronium, Græcum patriarcham, ad dona recipienda designavit[5].

1. Comes Riant, *La donation d'Orvieto et d'Aquapendente au S. Sépulcre*, passim.
2. De everso S. Sepulcro vide Radulphum Glabrum (Pertz, VII, p. 34), Wilhelmum Godellum (*Hist. de la France*, X, 262), Wilhelmum Tyrensem (*Rec. des hist. occ. des Crois.*, I, 16), Græcosque et Arabos historicos. Invenies quoque in Documento XVII textum quo Latinorum ædificiorum vices certius exponuntur. Cf. de Vogüé, *Eglises de Terre Sainte*, p. 248; Riant, *Inv. des Lettres hist.*, p. 35.
3. De hac refectione, v. Riant, *Inv. des Lett. hist.*, p. 52, n. 9-12.
4. *Ekk. Urang. Hierosolymita*, c. 19, 34 (ed. Hagenmeyer, p. 194).
5. Martene, *Thes. Anecd.*, I, 176.

Advenerunt tandem Latini; Amalphitanis quæ, postquam ab Ægypti calyphis occupata est Syria, concessa fuerint, in priore hujus parte, testibus hinc Guillelmo Tyrensi et Jacobo Vitriacensi, illinc Amato de Monte Cassino et Marino Sanuto, qui nequaquam ab illis pendebant, jam exposuimus[1].

De tempore anceps quæstio. Plerique XI° seculo medio, de Vogüé autem inter annum 1014, quo Hakem in christianos sævire desiit, atque annum 1023, quo Francis monachis Mouzzafer sultanus præsidio esse incepit, ea facta fuisse censent[2]. Sed quum sint qui sultani privilegium infitientur, non facile est judicium[3]; hoc tantum certum ante annum 1070 evenisse; tum enim demum regno Ægyptii calyphæ sublati sunt[4].

Quo situ? Eodem quo « Latinia », cujus in vicem excitatæ fuerant, Amalphitanas ædes stetisse opinor; Orientis enim apud gentes omnia durare immota solent. Certis quidem indiciis indigemus. Quotiescumque vero describuntur ea quæ Carolus condidit, significari et delineari videtur ipsa sedes in qua hospitium et ecclesiam Amalphitani exstruxerunt.

Ceterum si quis animadvertit futurum fuisse ut christianis, quibus quartam tantum urbis partem incolere liceret, angusta ad ædificandum loca paterent, eaque potissimum quæ plurima fidelibus commemorarent deligenda viderentur, non temere Amalphitanam ecclesiam dirutæ ecclesiæ non solum titulum (*N. D. de la Latine*), sed etiam locum usurpavisse, et cum hospitio in ipso situ, in quo priorum ædificiorum reliquiæ jacerent, exstructa fuisse existimabimus.

1. Quorum quam fidem unicuique adhibere debeas, vide superius.
2. De Vogüé, *Eglises de Terre Sainte*, p. 249.
3. Privilegii auctoritatem parum gravibus rationibus impugnare videtur Heyd (*Geschichte des Levantehandels im Mittelalter*, I, 116), quippe qui falsum nusquam esse documentum demonstret, et ex concesso Hierosolymis, anno 1063, ut Guillelmus Tyrensis asseruit, christianis vico, sultani chartam non hoc anno antiquiorem ipse concludat, sed obliviscatur Guillelmum hanc datam perfectis muris assignasse, concessionem vero, de qua agitur, prius factam fuisse.
4. Riant, *Inv. des Lettres hist.*, p. 65, n. 29.

Ex illis quæ jam dicta sunt, Amalphitanos patet Caroli eversum opus in eodem loco restituisse : superest ut nunc ab initiis istis Hospitale ipsum crevisse ostendamus; quod ad explanandum tria sunt approbanda :

1. — In eodem situ atque Amalphitanorum ecclesiam hospitiumque stetisse Hospitale.

2. — Idem opibus et prædiis ante annum 1099 auctum fuisse.

3. — A Benedictinis initio administratum, post primam tantum Sacram Expeditionem, militarem ordinem effectum.

Primum pro certo habemus Hospitale in eo fuisse loco quem jam antea apud Guillelmum Tyrensem atque Exordii auctorem designatum nacti sumus. Unum tantum insuper addere liceat : duæ sunt Legendæ quarum una in Hospitali, altera in B. Mariæ Latinæ ecclesia Virginem, dum filius mortem pateretur, moratam esse narrabant; quæ fuit causa cur eadem in utroque ædificio facta fuisse crediderint homines, nisi quod prioris in loco recentior domus edita fuisset[1].

Amalphitanis Hospitalarios successisse, testibus Johanne Wirtziburgensi et ignoto « Viæ Hierosolimitanæ » auctore usus, Paoli negavit[2].

1. « Extra portam Ecclesie S. Sepulchri ad meridiem est ecclesia « S. Mariæ quæ Latina vocatur, eo quod latine Domino a monachis « semper ministrabatur, et Assirii dicunt ipsam beatam Dei genitricem « in crucifixione Filii sui Domini nostri stare in eodem loco ubi altare « est ejusdem ecclesiæ » (Sœwulfus apud Vogüé, *Eglises de Terre Sainte*, p. 168). Relationem *de peregrinatione Sœwulfi ad Hierosolymam et Terram Sanctam,* annis 1102-3 peracta, reperies in *Relations des voyages de Guillaume de Rubrok*, *Bernard le Sage et Sœwulf*, editoribus F. Michel et Th. Wright.

« Ubi vero ejus monasterii [S. Mariæ Latinæ] altare positum est, ibi « stabat gloriosa virgo Maria, et cum ea soror matris ejus Maria Cleope, « et Maria Magdalena. Ubi cum vidisset Jesus Matrem et discipulum « quam diligebat, dixit matri sue: ecce filius tuus, ad discipulum : ecce « mater tua » (Tudebodus apud Vogüé, *Eglises de Terre Sainte,* p. 413). Petrus Tudebodus, Sivracensis (*Civray*) presbyter, annis 1095-6 crucem sumpsit, historiamque de Hierosolymitano itinere (ed. Migne, *Patr. lat.*, CLV, p. 757-822) exscripsit.

2. *Dell' origine ed istituto*, p. 59 et seq. — Johannes Wirtziburgensis circa 1165 Terram Sanctam adiit, descriptionemque peracti itineris composuit (ed. Migne, *Patr. lat.*, CLV, col. 1053-1090, et T. Tobler, *Descriptiones Terræ Sanctæ* (Lipsiæ, 1874, p. 108-93).

Invalidis vero adminiculis innititur : ambo illi scriptores, ait, quum Hierusalem, medio XII° seculo perlustrantes, describerent, hinc Latinam ecclesiam, illinc S. Johannis hospitium ecclesiamque notaverunt. Unum vero, unde cetera illustrantur, prætermisit : recentem scilicet etiam tum S. Johannis ecclesiam fuisse addunt, utpote quæ post Crucigerorum adventum tantum, quum jam Latina ecclesia angustior esset, juxta priscum Amalphitanorum hospitium, posterius amplificatum, exstructa fuerit. Cujus utrum Girardus fundamenta egerit an non, nil refert.

Satis sit id pervicisse Hospitale ante Bella Sacra nil aliud fuisse, nisi Amalphitanorum hospitium, eique S. Mariam Latinam templum sacrariumque habitam.

Incidit quidem Paoli in quemdam Alberti Aquensis locum, in quo Latina dicitur ante Crucigerorum adventum stetisse ; quo adeo impeditur, ut sacellum id tantum S. Sepulcro proximum, nec Hospitium ecclesiamve fuisse asserat. Quod levius est quam ut ponderis vel minimi faciamus.

A medio XI° seculo in Occidentis regionibus prædia, Sanctæ Sedi administranda, Latinæ Solymarum ecclesiæ habebant. In Normannia quædam Montis Sinai monasterium possidebat. Sepulcro de Novico, anno 1042 condito, Mauriacique prioratu (1053), bonisque cum abbatia de Concis indivisis Hierosolymitanum Sepulcrum donatum erat[1]. Necnon Orvieti comitatum et partem quamdam, ut videtur, regionis in qua nostro tempore Soranæ et Aquæpendentis comitatus continentur, ab Hugone, Tuscorum marchione, atque Julitta uxore (29 oct. 993) acceperat[2].

Ipsi Sancti Johannis ordini eadem contigerant, siquidem ab anno 1060 Guillelmus, dux Normannorum, fundos juxta Villedieu-les-Bailleul Hospitali condonatos redemit[3], annisque 1083, 1084, 1085 nonnulla in pago Albiensi apud

1. Riant, *Inv. des Lettres hist.*, p. 28, n. 12-14.
2. Veram esse donationem istam, quam D. Martene in *Amplissima Collectione*, I, p. 347-9 ediderat, ostendit Comes Riant (*La donation d'Hugues, marquis de Toscane, au S. Sépulcre*, passim. Parisiis, 1884, in-4°).
3. Vide Documentum XVIII.

Sanctum Antoninum de Lacolm et circa urbem Hierosolymitanis fratribus eo modo addicta sunt, ut nos doceant ad id temporis vixisse Anselmum quemdam, Hospitalis magistrum, fructusque et quæstus jam certa ratione procurari et dispensari[1].

Si respiciamus quoque quæ anno 1100 novum ordinem incrementa habuisse glorientur historici[2], fatendum erit — quum ea certissima sint — Hospitale ante annum 1099 conditum fuisse. Nemini enim fieri potuisse ut, unius anni spatio, e tam parvis incunabulis tanta evaderent illa, videbitur. Earum quoque concessionum[3], quibus Hospitale circa annum 1100 auctum est, priores Deo simul et Virgini et S. Sepulcro Hospitalisque pauperibus et S. Johanni Baptistæ addici solebant; uni vero Baptistæ posteriores. Quæ autem inde concludenda sunt? Duo, nostra sententia: — primum Hospitale, cujus vocabulum sæpe, peracto recentissime Bello Sacro, simul ac nomina ceterorum, quibus successit, institutorum Bellis Sacris antiquiorum, commemoratum fuerit, æque ac eadem ante Crucigerorum adventum exstitisse; — deinde morem istum pluribus titulis utendi quum jam Hospitale cetera amplexum esset, ita obsolevisse ut unius Baptistæ nomen enuntiaretur.

Relinquitur ut eorum, qui Hospitale ante primam Crucis prædicationem initum esse nolint, argumenta perpendamus; inter quos Paoli primam originem ab anno 1099 tribus de causis deducit[4]:

1. — Primum, quis est qui Legendæ, xiv° et xv° seculis compositæ, miraculisque et fabulis mixtæ, credere possit?

2. — Quum de temporibus auctores digladientur, anno 1099 Paoli favet. Nam temporum seriem retro ab anno

1. Vide Saige, *De l'ancienneté de l'Hôpital S. Jean de Jérusalem* (Bibl. de l'Ec. des Ch., 1864, p. 552-60). — Ulhorn, *Die Anfänge des Johanniterordens* (Zeitschrift für Kirchengeschichte, vi, 52).

2. Hospitale conditum est Londini et Zuarinæ (*Schwerin*) anno 1110, Messinæ et apud Alten Münster anno 1101 etc. (Paoli, *dell' origine*, p. 371 et seq.).

3. Vide opusculum nostrum cui titulus: *Trois chartes du xiie siècle concernant l'ordre de S. Jean de Jérusalem* (Genevæ, 1881, in-8°).

4. *Dell' origine*, p. 22 et 49.

1113 revolvendo, chartas, Hospitale anno 1100 exstitisse testantes, ut Jordani Briset donationem [1], invenit.

3. — Nec altius retrocedi posse putat, quod, et ante primum Bellum Sacrum, christiani vehementissime agitarentur; — et Benedictini futuri tum Solymis fuissent, quos ipse fuisse negat; — et Crucigeri, urbem ingressi, nullam sub Johannis titulo ecclesiam offendisse dicantur; — et Girardus, qui post captam a christianis Hierosolymam floruerit, nonnullis in paparum bullis institutoris nomine decoretur.

Quæ, quum iis quæ supra recensuimus documentis refringantur, liceret nobis negligere; pauca tamen objicere libet insuper :

— Primum, quanquam sapienter fecit Paoli quod legendis ægre confisus fuerit, peccavit et quod pessimis recentissimisque manuscriptis incubuerit, et quod criticam Disquisitionem in Vindobonensi n° 3323 atque in Vaticano n° 3136 codicibus, unde tamen quædam hauserit [2], inclusam non perlegerit.

— In secunda ratione nihil culpandum.

— Tertia elumbis ac sine nervis est. Etenim, quanquam tacuerunt de S. Johannis ecclesia scriptores, non inde fuisse nullam conjici potest.

Ceterum, Sacra Expeditione nondum incepta, Hospitalis ecclesia S. Mariæ nomine nuncupabatur; nam posterius tantum, anno circiter 1130, S. Johannis ecclesia ædificata est, annoque 1126 primum S. Johannis Hospitalis nomen in chartis inscriptum esse videtur [3].

Quod ad Benedictinos spectat in priore parte absolvimus [4].

Denique cavendum est ne bullis plus justo tribuatur. Girardum quidem institutoris nomine appellant; num vero tanta vis hujus vocabuli est, ut Girardum funditus Hospitale condidisse aperiat?

1. Facta est hæc donatio tempore regis Henrici I in Anglia Hospitali apud Clerkenwell, auctoribus Jordano Briset et uxore ejus. (Paoli, *Dell'origine*, p. 375).
2. *Item*, appendix, p. 36-7.
3 Ulhorn, *Die Anfänge* (Zeitschrift für Kirchengeschichte, II, 53).
4. Vide supra, p. 61-3.

Unum ergo hoc, Girardum, quem multi testantur Solymis ante Crucigerorum adventum versatum esse, Bello Sacro confecto, labantia tantum restituisse e Paoli opinione ultro accipimus.

IV. — DE GIRARDO.

Nunc, quum jam nemini dubium esse possit Hospitale ante Bella Sacra exstitisse, ad narrationem perficiendam pergamus.

Scimus christianos, dum Ægyptii et Turcæ continuis in bellis versarentur, nunquam ab 1070 ad 1078 armis interfuisse, murorumque munimentis protectos, quiete quadam usos esse[1]. Quæ quidem anno 1084 desiit, quum Turcæ, capta Antiochia, Syriæ indubitati domini effecti, in crudelitatum et insectationum effrenatam libidinem inciderunt. Crescebat, sub idem potisssimum tempus, Hospitale Hierosolymitanum, ut e chartis, anno 1099 anterioribus et primæ Crucis prædicationi coævis, supra demonstravimus.

Quando Hospitalarii Benedictorum auctoritatem detractaverint, ignoratur; post Bella Sacra credimus. Tum enim monachos, viros quidem — nam muliebri conventui in eodem loco sito et paulatim crescenti Agnes præerat — Girardus regebat. Qui, quum advenissent Crucigeri, ordinem suum novo ritu reficere atque instaurare aggressus est; unde orti sunt Hospitalarii, tum ad ingruentibus occurrendum, tum ad laborantibus subveniendum apti, et S. Augustini regulæ obnoxii. Qui quæ quantaque facinora ediderint omnibus innotuit.

De Girardo multa dicta sunt: non is enim erat qui prætermittendus videretur[2]. Pauca vero nota. Nos quando

1. Riant, *Inv. des Lettres hist.*, p. 65.
2. De Girardi vita et cultu disseruerunt P. J. de Haitze (*Histoire de la vie et du culte du bienheureux Gérard Tenque, fondateur de l'ordre de S. Jean de Jérusalem*, Aquis Sextiis, 1730, in-12) et D. Arbaud (*Dissertation historique sur le B. Gérard Tenque, fondateur de l'ordre des Hospitaliers*, Diniæ, 1851, in-8°), sed nihil ex his auctoribus ducendum invenimus.

Solymis fuerit, qua ex regione aut gente ortus sit, quem vitæ cursum et conditionem habuerit, anquiremus.

Qua de conditione fuerit incertum; alii artificem, imo operarium, alii episcopum, alii eremitam S. Augustini disciplinæ addictum asserunt, sed harum opiniorum nulla quæ pertractetur digna videtur; frequentiori itaque, — et inde verisimiliori, — Girardum scilicet laicum fuisse, S. Mariæ Latinæ fratrem oblatum aut donatum, et S. Benedicti regulæ adstrictum, accedamus, quum verum excutere nobis non in promptu sit[1].

Contendit Paoli[2] fieri non potuisse ut, advenientibus Crucigeris, Girardus in urbe foret: quippe cui, quum unus ex Latinis christianis esset, nulla morandi Solymis copia data esset.

Quæ conjectura quoque nimis Paoli interest quam ut magni ducatur: ille enim, quum Hospitale Bello Sacro recentius esse approbare vellet, ad id, ut Girardum Hierusalem non ante Crucigerorum adventum fuisse appareret, omni studio incubuit.

Stare malo cum Guillelmo Tyrensi atque Exordii auctore, qui Girardum Hierosolymis, advenientibus christianis, fuisse contendunt. Nec omnino miraculi narrationem, ad Girardum spectantem, rejecerim, quæ, etiamsi omni acumine ingenii sit penitus dispicienda, id certe nos monet Girardum non solum fuisse tum cum Hierosolymitanis, sed etiam Crucigeris auxilium præstitisse ; quam rem perculsæ hominum mentes non finxerunt omnino, sed in majus ac mirabilius auxerunt.

E Provincia ortum fuisse quidam suspicantur[3]; quibus vero rationibus, accipe: Hospitalarii, prout quisque aut una aut altera, aut alia qualibet uteretur lingua, in varias linguas distribui solebant : in quibus annumerandis Provinciæ princeps locus contigerat; quod in honorem primi magistri factum fuisse illi confidunt, nos vero subdubitamus.

1. Qui cujusque sententiæ patroni exstiterint exposuit Paoli (*Dell' origine*, p. 429-30).
2. *Dell' origine*, p. 439-43.
3. Præsertim Gallici historici; vide Paoli, *Dell' origine*, p. 431.

Qua de stirpe natus? De gente Sancti Desiderii alii prætendunt: qui quidem nullis argumentis adjuvantur; alteri vero de gente de *Tunc* vel *Tonc*.

Paoli quæ objiciat e longinquo arcessit. Textum quemdam fingit in quo inscriberentur hæc: « G. Turc (id est Johan-« nes Turc, Hospitalis in Francia prior, anno 1130) »; unde « Girardum Tunc » eduxerit nescio quis. Sed qualicumque ex idiomate, latino, gallicove, conflatum fuisset illud documentum, littera J[ohannis sive Jehan] nec G[iovanni] oculis observata esset, — unde difficilior evasisset error[1].

Propius jacet ratio, ut nobis videtur; rerum ambiguitatem verborum peperit ambiguitas: scilicet versum, ab istis verbis « Girardus tunc ... » incipientem, ita prave intellexerunt, ut ad « Girardum Tunc » detorserint.

Recenter quidem Gallicus auctor[2] speciosissima ad eadem confirmanda attulit: notaverat enim antiquiorum ordinis militum et magistrorum gentes et nomina circa Vapincum passim reperiri; — magistri scilicet Raimundi de Podio[3] qui Girardi in locum successit, et magistri Arnaldi de Comps[4]. Ipsum Girardi cognomen fuisse *Tenc, Tenque, Tanque* sive *Tenche* noster arbitratur, documentis quibusdam coætaneis[5] fultus, quo Hugonem quemdam *Tenc* sive *Tinctum*[6] reperire est cum Gaufrido de Aiguina, qui pagum Vapincensem incolebat, terræ cujusdam condominum.

Argumento quoque profert Guillelmum quemdam de *Tenches,* qui Hospitali anno 1110 quædam donavit[7], quem-

1. *Dell' origine*, p. 434-5.
2. L. Blancard (*Répertoire des travaux de la Soc. de statistique de Marseille,* séance de janv. 1882).
3. Locus, cui nomen *Puy-Montbrun,* Vapinco proximus est.
4. *Comps* longius, versus occidentem reperies.
5. Vide caput XXVII Rotuli Donationum præceptoriæ Vapincensis, initio XII° seculo scriptarum (P. Guillaume, *Rôle des Donations de la Commanderie de Gap,* Parisiis, 1881, p. 24) et Chartularium S. Victoris Massiliensis.
6. Sic nominatur in Chartulario S. Victoris Massiliensis.
7. Ut ex Balduini, regis Hierosolimitani, confirmatione, apud S. Pauli (*Cod. Dipl. del S. M. ordine Geros*, I, n° 2) constat.

que a Vapinci viciniis oriundum[1] suspicatur, quum in eodem documento concedentes invenerit Petrum de Lens[2] et Leonem Ferrencum[3], quos sine dubio Vapincenses fuisse demonstrat. Quæ de his omnibus sentiendum, si non vera, subtilia saltem esse arbitrandum.

Eosdem esse vult Paoli et Girardum nostrum, Hospitalis institutorem, et Girardum alterum, stirpe comitum Hanagavensium oriundum, domini de Lutosa filium, Avenarum castellanum, qui, si Alberto Aquensi credis, apud Assur (1102) periit. Quæ conjectio, quantacumque solertia commendetur, non satis probari potest[4].

Libentius fautores erimus eorum qui Scalæ, prope Amalphiam, natum, sive quod Amalphitani frequentissimo commercio cum Terra Sancta uterentur, sive quod crux octangula in armis urbis conspiceretur existimant[5].

Debiliores nuper eas rationes Amalphitanus quidam auctor[6], duobus textibus quos in Appendice referimus[7], ita roboravit ut, si non vera, verisimilia quidem effecerit.

Inde igitur Girardo Scala patria, Sasso gentilitium nomen addicuntur. Illud vero annotemus non illustrari quo tempore figuræ aut inscriptiones incisæ fuerint, de quibus ibi agitur.

Eam certe, cujus exemplar editum esse, scripturam post annum 1530 delineatam esse conjectamus. Utrum vero antiquiori monumento fuerit superaddita, an simul ac monumentum expressa fuerit, haud exploratum habemus. Monumentum non vidit Marulli[8]; quod, quum Neapolis civis

1. Reperitur enim locus quidam nomine *Tanques*, vicino vico *Jarjoges* prope Vapincum.
2. Habemus prope Vapincensem civitatem vicum nominatum *Lemps*.
3. Hoc idem nomen tenenciario cuidam necnon et manso cuidam apud *Chorges*, prope Vapincum, assignatum invenitur in charta Chartularii S. Victoris Massiliensis (nº 1089), circa annum 1085 conscripta, et Isoardum, vicecomitem Vapincensem, commemorante.
4. *Dell' origine*, p. 437-8.
5. *Item*, p. 431 et 435.
6. M. Camera, *Memorie di Amalfi*, II, ann. p. XLVII-XLVIII.
7. Vide Documentum XX.
8. G. Marulli, *Vite de' gran maestri* (Neapoli, 1636, p. 3).

esset ille atque anno 1636 scriberet, valde admiramur; seque Amalphitanam illam Girardi originem manuscripto edoctum profitetur fuisse. Cujus rei nos pœnitet : nam monumenti hujus ætatem novisse nostra multum refert : si enim vetus sit, enodetur extemplo difficultas; sin recens, magnopere sit metuendum ne Amalphitani, nimio suæ civitatis amore, incerta pro certis, ob id tantum quod sibi placerent, inscii ultro habuerint.

Eæ fuerunt Girardi virtus et sanctitas ut fama non solum — sicut e Legenda, de pane in lapidem converso vulgata, patet — percrebuerit apud æquales, sed etiam ad remotissimos posteros pervenerit, ordinem profecto et instituisse, et certæ regulæ (Hospitalarios enim votis adstrinxit, et in classes quarum tituli « Presbyteri, Equites, Servientes » erant, distribuit) subdidisse [1], et in majus latiusque — de quibus incrementis tabulas a Paoli diligentissime compositas inspice [2] — extendisse annalium scriptores aiunt. Quibus non tamen fides integra adhibenda. Regulam quodam modo instituerit, esto : sed quod de distinctis classibus asserunt, non admittendum, quum diu postea nullo nisi clericorum laicorumque discrimine, communi nomine Fratrum Servientium appellati fuerint Hospitalarii [3]. Cujus, juvantibus chartis, vestigia usque ad annum 1120 sequimur : itaque ad hunc annum mortuum esse temporum descriptores existimavere [4].

Denique de martyrio quodam, quod Girardus subierit, non licet tacere. Narrat Guillelmus Tyrensis [5] Girardum, dum Hierusalem a Crucigeris oppugnaretur, a Sarracenis, ut in quo S. Mariæ Latinæ thesauros occultavissent christiani, locum aperire cogeretur, tanta sævitia excruciatum esse ut debilis postea vixerit. Non de cruciatu quidem, sed de genere locoque et tempore, auctore Alberto Aquensi fretus,

1. Paoli, *Dell' origine*, p. 195, 200-1, 205-6, 209-11.
2. *Ibid.*, p. 371-406.
3. Ulhorn, *Die Anfänge* (Zeitsch. f. Kirchengesch., VI, 54-5).
4. *Ibid.*, p. 54.
5. Liber VIII, c. 23 (*Rec. des hist. occ. des Cr.*, I, p. 315). — Cf. Paoli, *Dell' origine*, p. 437-8.

dissentit Paoli [1]. Cui si credendum est, non Hierusalem, sed Assur fuit locus; non equuleus aut aliud hujus modi, sed crux supplicii instrumentum; non quintilis, sed september mensis. Quid vero? Ostendimus jam antea Paoli ultro Girardum nostrum cum G. de Avennis, opinionis suæ gratia, confudisse, et alium alterius supplicio affecisse. Sententia nostra, quæcumque de isto martyrio memoravere amovenda sunt.

V. — CONCLUSIO

